

METAPHYSICA
AD USUM SCHOLÆ ACCOMMODATA;

AUTHORE ANTONIO SEGUY, Sacræ Facultatis Parisiensis Licentiato Theologo, atque in Studii Parisiensis Universitate Philosophiæ Professore, docente in Collegio Marchiano.

TOMUS PRIMUS.





PARISIIS,

Apud { Viduam BORDELET, è regione Collegii Ludovici Magni, viâ Jacobeâ, sub signo Sancti Ignatii.
PAULUM-DIONYSIUM BROCAS, viâ Jacobeâ, sub signo Capitis Sancti Joannis.
DIONYSIUM-JOANNEM AUMONT, in plateâ Collegii Mazarinæi, sub signo S. Monicæ. }

M. DCC. LVIII.

Cum Approbatione & Privilegio Regis.

I.



ILLUSTRISSIMO
AC REVERENDISSIMO
ECCLESIÆ PRINCIPI
D. D. ANTONIO DE MALVIN
DE MONTAZET,
ARCHIEPISCOPO
ET COMITI LUGDUNENSI,
GALLIARUM PRIMATI, &c.

Quod opus cariſſimo fratris filio haud parùm tùm profuiſſe noſti, cùm huic admodùm adoleſcenti, ſed miræ ingenii ſagacitatis, præfervidi ad ſublimiora quæque capeſſenda impetûs, viriliſque jàm judicii, aditus eſſet ad reconditiores diſciplinas aperiendus; illud ſi tuo inſignitum nomine in lucem prodire geſtiat, fore*

* Marchioni de Montazet.

confido, ut id pro tuâ ſingulari humanitate non moleſtè feras, Illustrissime Ecclesiæ Princeps. Neque enim ego ſum neſcius quantâ benevolentiâ litteratos Viros complectaris, eos præſertim qui de tuendâ intèr populares ſuos religionis ſanctitate unicè ſolliciti ſedulò invigilant, ut juvenum mores intèr tot pietatis vel amittendæ, vel ſaltèm labefactandæ pericula ab omni tamèn vitiorum contagione præſtent incolumes; qui eorum animos ità à teneris alunt ſolido veritatis pabulo, & judicii vim limant ac perficiunt; ut poſthàc viſco falſarum opinionum, quæ ad apertum chriſtianæ reipublicæ detrimentum paſsim hodiè & impunè ſparguntur, agglutinari ſe facilè non patiantur.

Pudet dicere quàm effrænata ſit Scriptorum quorumdam licentia; quàm perfrictâ fronte pectoris ſui virus in libros ſuos largiùs infundant! Undè tetra mephitis exurgit certiſſimam virtuti perniciem importatura. Ecquis vir bonus non ingemiſcat in-

tuens quantùm periculi creetur Gallicæ juventuti ab illorum Authorum lectione, qui unum id ferè aucupantur, ut omnia naturalis verecundiæ repagula perfringant, ut sensibus blandiantur, ut incautorum hominum mentes quibusdam quasi præstigiis fascinent atque perturbent; qui eò dementiæ devenerunt, ut sanctissimas divinæ legis regulas, quibus submisso animo obtemperandum esset, iniquâ superbæ suæ temeritatis trutinâ non solùm examinare ac pensitare audeant, sed etiàm impugnare, præpotentem Deum debito cultu defraudare studeant, perspicuam supremi Numinis in orbe universo providentiam, imò & existentiam vel in dubium revocare, vel apertè negare præsumant.

Hinc intelligere est quanto studio elaborandum sit iis, qui erudiendæ juventuti præpositi sunt, ut adolescentium ingenia doctrinis excolant optimis, eorumdem mentes ad veri honestique gustum informent, præmuniantque adversùs erroris pravi-

tatem. Itaquè in hoc opuſculo quod non mediocri diligentiâ elucubravimus, in id maximè intenti fuimus, ut juvenibus fidei noſtræ commiſſis indigitaremus ſcopulos, quibus miſerè allidi ſolet juvenilis imperitia.

Sed tuum eſt, PRÆSUL ILLUSTRISSIME, *inſanas impietatis molitiones infringere ſublimi illâ eloquentiæ vi, quam plenam gravitatis amœnitatis plenam ſæpè ſæpiùs admirati ſunt Viri bonarum artium æſtimatores æquiſſimi, ſibique te inſcio quaſi pro ſuo jure vindicarunt; quæ eo ſuaviùs demulcet, fortiùs commovet, quod eam felici conſortio conjunctam cernimus cum illibatâ vitæ integritate, quæ virtutem dùm imperat, potentiſſimis ad eam allicit illecebris. Utinàm mihi adeſſet illa, quâ polles, dicendi facultas! Quàm libentèr & copiosè ea prædicarem quæ omnium oculis & auribus quotidiè uſurpantur! Exponerem indefeſſum in curando grege laborem, experrectam in ſeligendis ſaluberrimis paſcuis vigilantiam, aſ-*

Jiduamin arcendo peſtilentioris auræ quolibet afflatu diligentiam. Laudarem ingenium illud tuum perſpicax, acutum, maximum quod celebratur ab omnibus, & amatur. Neque prætermitterem blandam illam oris & ſermonis comitatem quâ ſummis pariter & infimis acceptus cunctos allicis. Verùm me præſertim ad ſe raperet virtutis tuæ præſtantia, quam cùm probè notam ac perſpectam haberet REX CHRISTIANISSIMUS, *eam in primariâ Cleri Gallicani Sede collocatam voluit, ut indè velut ex ſubliniore loco omnia paſsim illuſtraret.*

Vides profectò, ILLUSTRISSIME ECCLESIÆ PRINCEPS, *quàm amplus mihi ſeſe aperiret dicendi campus. Sed à tuis laudibus proſequendis mihi temperandum eſſe cenſeo; ne tot tantaſque virtutes culpâ deteram ingenii, aut moleſtiam afferam modeſtiæ tuæ, quâ cæteras ingenii & animi dotes abundè cumulas.*

Satis igitùr mihi ſit, ſi te rogem enixiùs ut me quemadmodùm feciſti

hactenus, benevolentiâ tuâ tuoque patrocinio cohonestare pergas; & istud meæ ergà te observantiæ pignus benignus accipere velis.

Offerebat,

ILLUSTRISSIME ECCLESIÆ PRINCEPS,

Tibi addictissimus & obsequentissimus
ANT. SEGUY, Philosophiæ Professor in Collegio Marchiano.

METAPHYSICA

METAPHYSICA.

Metaphysicæ nomen græcum est, originemque ducit à vocibus Μέτα, id est supra & φυσίς, id est natura. Ideòque describi potest scientia rerum suprà naturam sensibilem positarum; non quod de rebus corporeis & sensibilibus non occupetur, quemadmodùm & de spiritibus; sed quod eas contempletur modo quodam generaliori, & per mentis abstractionem, quatenùs affectiones sunt aut attributa multis communia.

Metaphysica jure merito Scientia dicitur; multa quippe de objecto suo demonstrat, ut ex dicendis patebit. Frustrà de ejus definitione, existentiâ, objecto, causis, dotibus fusiùs disputaremus.

Duæ sunt metaphysicæ partes, alia generalis, quæ vocatur Ontologia; specialis alia, quæ Pneumatologia nuncupatur.

Metaphisica generalis, seu Ontologia.

Ontologia idem significat ac sermo de ente. Hæc itaque metaphysicæ pars cùm de ente universìm sumpto, rerumque generalioribus attributis & affectionibus disputet, ordo postulare videtur, ut à

quæstione de universalibus ordiamur, cujus ex tractatione lux quædam in sequentes disputationes effulgebit. De cæteris eo dicturi sumus ordine qui veritati manifestandæ idoneus magis videbitur. Unum id vos monitos volo, auditores Academici, & à vobis postulo, ut si quis præconceptas jam habeat de notionibus in Ontologiâ tradi solitis opiniones, eas intereà suspendat, donec, quæ dicturus sum, maturo examine perpenderit. Multas enim Ontologiæ notiones falsas existimo, quas tamen amplexi sunt plerique Philosophi, quod tanquam definitiones traditæ fuerint.

De Universalibus.

Multa de notione, existentiâ, proprietatibus, aut affectionibus universalium, non à veteribus solùm, sed etiam à recentioribus Philosophis scripta sunt, quæ & inutilia, & sæpè nugatoria videntur; ex quo fit, ut quidam iique juniores ne nomen quidem universalium, sine risu & cachinnis audire sustineant. Cùm tamen hâc in quæstione quædam scitu necessaria reperiantur; non omninò videntur prætermittenda, sed errores præcavendi, in quos delapsi sunt, qui tanquam realia tradiderunt multa, quæ sunt ad summum mentis abstractiones, & plerumquè fictiones.

Quid sit universale.

Universalis nomine intelligitur unum quod est commune multis, unum respiciens multa. Quinque autem modis unum potest multa respicere, 1°. ut causa, 2°. ut repræsentatio, 3°. ut signum vel significatio, 4°. ut essentia, 5°. ut prædicatum. Hinc quinque universalia, quæ in scholis sic exprimuntur; universale in causando, in repræsentando, in significando, in essendo, in prædicando.

Universale in causando est una causa multorum; sic Deus, qui multa eduxit è nihilo.

Universale in repræsentando est idea una, quæ multa repræsentat; sic idea circuli vulgò dicitur circulos omnes repræsentare.

Universale in significando est vox una, quæ multa significat; talis ista vox *triangulum.*

Universale in esse definitur unum in multis, unum quod est aptum ut multis insit. Addiderunt peripatetici *univocè* & *divisìm*: dicitur unum in multis *univocè*, id est eodem sensu, eadem significatione. Dicitur *divisìm*, id est cum sui divisione & multiplicatione. Quas voces *univocè* & *divisìm* negat Dagoumerius esse addendas; cum ratio universalis eas non postu-

let; ſic humanitas, quæ in Petro, Paulo &c. ineſt.

Univerſale in prædicando eſt unum prædicatum multorum, vel unum quod eſt aptum ut de multis prædicetur. Sic homo de Platone, Cicerone, cœteriſque prædicatur. Hæ ſunt vulgares univerſalium definitiones, quas expendemus.

Quæritur utrum univerſale in eſſe, exiſtat à parte rei ſeu independentèr à noſtrâ cogitatione in rebus contingentibus: quod idem eſt ac ſi quæreretur, an exiſtat natura quædam rei contingentis, quæ in multis individuis reipſa ſit una; de quâ quidem quæſtione diù multumque Thomiſtas inter & Scotiſtas certatum eſt; tantoque animorum æſtu, ut quandoque miſcerentur ſcholæ, bellaque gererentur pluſquam philoſophica. Sed verbis diſſentiebant, re conſentiebant; quod plerùmque in iis quæſtionibus uſu venit.

Quâ autem ratione in concordiam adduci poſſint, ut intelligatur; duplex unitas diſtinguenda, altera identitatis, altera ſimilitudinis.

Ea ſunt unum unitate identitatis, quæ ſunt quid idem; ſic homo & animal rationale ſunt unum; quia idem omninò ſunt. Hæcque ſola eſt propriè, & ſtrictè dicta unitas.

Ea verò ſunt unum unitate ſimilitu-

dinis, quæ similia sunt. Sic nummi duo aurei perfectè similes dicuntur unum, & sæpè idem appellantur, sed vulgari sermone, & improprio sensu. Nihil enim unitati opponitur magis quam multitudo, & pluralitas, quæ in ideâ similitudinis includitur.

Contendunt Scotistæ existere in rebus contingentibus naturam quæ una sit in multis; sed naturam intelligunt unam unitate speciei, quæ est unitas similitudinis; cum species aliud nihil sint quam certæ quædam classes rerum similium.

Negant Thomistæ naturam aut essentiam existere quæ reverà una sit in multis; sed unam intelligunt unitate identitatis; quare nulla inter eos lis est, nisi de nomine; ex quo perspicuum est & apertum, difficultates utrinquè propositas evanescere; si vocum definitionem ab omnibus admissam præmittere curarent. Cum igitur unitas identitatis sola sit strictè dicta unitas; vocesque in sensu proprio sint à Philosophis usurpandæ; quæ sit omnium philosophorum sententia aperiet sequens propositio.

PROPOSITIO.

In rebus contingentibus nulla est reipsà natura universalis; seu ut aiunt, non existit universale à parte rei.

Probatur. Natura universalis esset natura una in multis individuis. Atqui in rebus contingentibus nulla existit aut existere potest natura, quæ in multis individuis una sit. Nam cum singula individua suam habeant essentiam aut naturam sibi propriam, si multa reipsa sint individua, multas reipsa existere naturas necesse est, nisi quis ita ineptus sit & hebes, ut pluralitatem cum unitate confundat, & quod unum est, dicat esse duo, centum, mille &c. Ex. gr. in Platone, Cicerone, Alexandro &c, quæ sunt humanitatis individua, natura humana non est una; sed quot sunt individua, tot reipsâ sunt naturæ humanæ.

Quod etiam fatentur Scotistæ, cum dicunt naturam esse quidem in multis individuis unam, sed univocè & divisìm, id est cum sui ipsius multiplicatione; proindeque in multis individuis multas reipsâ naturas existere. Ergo &c.

Dices quæ naturâ similia sunt, hæc unum & idem esse dicuntur, unamque habere naturam: atqui multa reipsà exisstunt individua, quæ similia sint naturâ; sic Petrus, Paulus cœterique homines naturâ similes sunt. Ergo reipsâ existit natura quæ in multis individuis una sit; proindeque universalis.

Dg. maj. Hæc unum & idem dicuntur

improprio sensu, cumque de strictâ vocum significatione parùm curatur. C. maj. Hæc unum & idem esse dicuntur, cum voces in strictâ suâ significatione sunt usurpandæ. N. maj. quod adeò verum est, ut si quis personas tres divinas naturâ similes assereret; hoc ipso naturas tres divinas, tres Deos admittere ab omnibus judicaretur. Ergo Cum accuratus esse debet sermo; quæ naturâ sunt similia, hoc ipso non unam naturam, sed multas habere dicuntur. Quare cum de duobus corporibus sermonem habentes dicimus eamdem esse illorum figuram; impropriè loquimur. Ita fermè Sgravesendius. c. 7. introd. ad Philos.

Cœteras prætermittimus objectiones proponi solitas, cum æquivocationes sint aut cavillationes magis quam difficultates. Legatur subtilissimus Suarès, Metaph. disp. V. Sect. 1.

Quæres quid inter res possibiles sint naturæ universìm aut generatìm sumptæ.

Philosophi quidam opinati sunt res in statu possibilitatis universìm spectatas esse naturas, quæ cum ex se ipsis & independentèr à nostrâ cogitatione abstraherent ab omnibus individuis ejusdem classis, hoc ipso essent Archetypa quædam & exemplaria veluti coram intellectu divino posita, quibus inter agendum Deus

dirigeretur; & ad quorum similitudinem ejusdem speciei individua quæque efficeret; quin tamen unquam ipsæ producerentur, sed sine sui imminutione aut interitu singulis communicarentur individuis. Quare in illorum Philosophorum sententiâ humanitas generatìm & in statu possibilitatis si consideratur, reipsà non verò per cogitationem nostram à Carthesio, Mallebranchio, cæterisque individuis abstrahit; hocque sensu à quibusdam dicitur universalis. Ex quâ opinione orta est de individuo disceptatio maxima. Cum enim natura ejusmodi abstracta individuis communicata diceretur; individuum ab ipsâ naturâ distingui necesse fuit. Ideoque non sine animorum æstu quæsitum est in quo consistat individuatio, & per quid natura constituatur individuum; fieri namque non potest ut natura ab individuis abstrahat, quin individuatio aliquid naturæ superaddat.

PROPOSITIO.

Res in statu possibilitatis & generatìm sumptæ non sunt naturæ quædam generales quæ ab omnibus individuis reipsà præscindant.

Pbr. 1°. individua quæque cujuslibet speciei sunt in se possibilia, Deoque cognita. Ergo inutilis omninò est natura ge-

neralis ab omnibus individuis reipsà abstrahens, ad cujus similitudinem efficiantur individua.

2°. Sit in exemplum circulus generatìm sumptus; idemque de cœteris rebus universìm judicium feratur. Si circulus universìm sumptùs diceretur essentia quædam à singulis abstrahens circulis, esset circulus reipsà possibilis, qui nullum haberet diametrum determinatum; atqui reverà possibilis non est circulus, cujus diameter nullam habeat determinatam magnitudinem: res enim quæ reipsà possibilis est, supponi potest existens saltem accedente causæ efficientis actione. Atqui ne adhibitâ quidem Omnipotentiâ divinâ supponi potest circulus existens, cujus diameter nullam habeat determinatam magnitudinem. Quæcumque enim extensio existens determinatæ magnitudinis est aut pedis, aut pollicis, aut exapedæ &c; sibique ipse contradicit, qui rem existentem asserit, eamdemque indeterminatam. Ergo &c.

Quod autem de speciebus perspicuum est, id de generibus patet evidentiùs. Quid enim, si metallum universìm sumptum ex. gr. diceretur res quædam reipsà possibilis? Esset corpus duritiei, gravitatis, malleabilitatis, fusibilitatis, coloris indeterminati. An verò per ipsam Dei

omnipotentiam ſupponi poteſt corpus ejuſmodi exiſtere? Quid etiam eſſet idea generatìm ſumpta? Eſſet repræſentatio, quæ non illud potius, quam alterum objectum, nec omnia ſimul objecta exhiberet; ideoque repræſentatio quæ rem nullam repræſentaret; quod eſt manifeſta contradictio.

3°. Homo universìm ſumptus eſſet res una ſeu indiviſa in ſe, imò & diviſa à qualibet aliâ. Atqui aliud nihil eſt, individuum & ſingulare. Ergo homo universìm eſſet natura ſingularis & individua, non univerſalis.

De ideâ univerſali,
Seu de univerſali in repræſentando.

Quæſtio præſens non exigui videtur momenti tum propter nomina generalia quorum in variis linguis numerus eſt locupletiſſimus; tum propter humanarum cognitionum progreſſus, quæ niſi generali quodam intuitu proferrentur, anguſtis admodum concluderentur limitibus; tum etiam propter Mallebranchii ſyſtema de ideis, quod in notione ideæ univerſalis fundatur.

Idea univerſalis, ut Mallebranchio videtur, ens omne complectitur, ideòque infinita eſt; ex quo concludit, omnia videri in Deo, qui ſolus infinitus eſt.

Author recens Elementorum metaphysicæ experimentalis, aut Epistolarum ad materialistam, infinitudinem quamdam & immensitatem cum Mallebranchio tribuit ideæ universali, in quâ contineri asserit notionem omnium ejusdem speciei individuorum possibilium; quæ notio possibilium, ut eidem authori placet, cum necessaria sit, non contingens, nullâ potest ideâ hominis utpotè contingenti exhiberi. Sic autem mentem suam explicat. Idea circuli determinati omninò & singularis quem præ oculis habet Geometra, typus est & exemplar omnium circulorum possibilium; ideo autem fit typus, & exemplar omnium circulorum possibilium; quia attendimus ad Omnipotentiam divinam, quæ potest circulos similes in infinitum efficere. Verbo dicit, idea quælibet quantumvis singularis per attentionem ad omnipotentiam Dei relativa est ad individua cujusdam speciei in infinitum possibilia; idque ipsum est quod eam reddit universalem.

Cœteri omnes philosophi tum veteres, tum recentiores, & cum illis Lockius contendunt, ideam ex singulari fieri universalem per simplicem mentis abstractionem. Abstractio autem sive præcisio ea est mentis cogitatio, quâ ex multis ejusdem rei attributis, modis, aut rela-

tionibus quædam animus considerat, intereà dum ad cætera non attendit; quo fit ut ea etiam quæ sunt inseparabilia per cogitationem veluti separentur & præscindantur. Sic viator itineris longitudinem sæpè considerat attentiùs, cum de latitudine nullatenùs cogitat. His prænotatis sit.

PROPOSITIO.

Idea ex singulari fit universalis per simplicem mentis abstractionem.

Hæc propositio explicatione magis quam probatione indiget.

Nam 1°. certum est ideam universalem non eam esse quæ repræsentat naturam unicam in multis individuis; cum in rebus contingentibus sive existentibus sive possibilibus, nulla reipsâ sit ejusmodi natura.

Certum est 2°. ideam universalem non illam esse quæ omnium ejusdem speciei individuorum collectionem exhibet; hæc enim idea collectiva est, non universalis.

Quare idea universalis est idea multis communis, id est quæ id exhibet quod est omnibus ejusdem speciei individuis commune. Atqui per mentis abstractionem fit, ut idea rei singularis sit communis omnibus ejusdem speciei indivi-

duis. Si enim Geometra in triangulo quod habet præ oculis consideret dumtaxat tres angulos, triaque latera, atque à determinatâ magnitudine laterum & angulorum, eorumque æqualitate aut inæqualitate præscindat; ejus idea aut demonstratio triangulis omnibus fit communis; Etiamsi de cœteris triangulis nullatenùs cogitet. Ergo idea ex singulari fit per abstractionem universalis.

Quod ut penitùs intelligatur, non abs re erit observare quâ ratione idea singularis ad multa gradatìm extendatur, tandemquè fiat universalis. Infantulus matrem suam videt & ancillam, aut nutricem, quarum ideas singulares habet atque distinctas; successu temporis multa cernit quæ corporis figurâ, aliisque qualitalibus patri suo & matri similia sunt. Ex his similibus sibi efformat ideam, quæ singulis ejusmodi entibus convenit; en idea communis multis & universalis, quam cœterorum exemplo hâc voce *homo* significat & exprimit: in quo certè novam ideam non efformat; sed ab ideâ complexâ patris, aut matris, aut quorumdam aliorum, qualitates quasdam singulorum proprias amovet, eaque retinet quæ singulis sunt communia.

Dices 1°. cum authore Elementorum Metaphysicæ experimentalis. Infinito ni-

hil opponitur magis quam abstractio; quæ est quædam negatio. Atqui idea universalis infinita est; cum omnia ejusdem speciei individua complectatur. Ergo ex singulari non fit universalis per abstractionem.

N. mi. Idea universalis ea est quæ repræsentat aliquid multis commune, non verò quæ objecta exhibet numero infinita. Ergo idea universalis non est infinita.

Ad probationem N. ant. Nam 1°. idea universalis non est idea collectiva, sed multis communis. Ergo &c. 2°. Idea universalis termino generali exprimitur. Terminus generalis non omnia ejusdem speciei individua significat, sed aliquid ipsis commune; & in hoc differt terminus communis seu generalis à collectivo. Ergo &c.

Imo nulla mentis nostræ idea esse potest, quæ singula & omnia ejusdem speciei individua complectatur. Tamen ideas habemus universales. Ergo &c.

Et vero sententia prædicti authoris parum consentire videtur cum notione ideæ universalis quam ipse tradit. *L'idée d'un cercle*, inquit, Ep. quartâ pag. 56, *ne représente aucun cercle déterminé, nul cercle numerique.... elle ne renferme aucune des différences qui distinguent les cercles existants: c'est l'image de tous les cercles en ce qu'elle énonce l'égalité de distance du centre à tous les points*

de la circonference. Mais comme aucun cercle ne peut exister que son rayon ne soit déterminé, & que l'idée ne détermine aucun rayon, on peut dire qu'elle ne représente aucun cercle particulier. En notio ideæ universalis ex ipso authore. Jamverò non nisi per abstractionem fieri potest, ut idea circuli nullum radium determinet. Insuper idea quæ omnes circulos existentes & possibiles exhiberet, dici non potest idea quæ nullum circulum determinatum & numericum exhiberet, ut pote quæ nihil nisi collectionem circulorum numericorum & singularium repræsentaret.

Dices 2°. cum eodem. Idea universalis circuli est idea relativa ad omnes circulos possibiles, quorum typus est & exemplar. Idea autem circuli omninò determinati & singularis fit exemplar circulorum omnium possibilium per attentionem ad omnipotentiam divinam, quæ cognoscitur posse infinitos circulos ejus similes efficere.

Ex quibus sic argumentum proponi potest. Idea non fit universalis aut relativa ad circulos omnes possibiles, nisi per attentionem ad Omnipotentiam divinam. Ergo ex singulari universalis non fit per abstractionem.

Ng. ant. tum quia de Dei omnipotentiâ ferè nunquam cogitatur, dum effor-

matur idea universalis. Tum quia ex ipso authore idea universalis circuli nullum debet circulum determinatum & numericum exhibere ; qui autem intuens circulum omninò determinatum & singularem ob oculos positum, simul conciperet per Dei omnipotentiam effici posse circulos in infinitum similes ; is innumeros sibi repræsentaret circulos determinatos & numericos ; tum quia si diameter circuli præ oculis positi cognosceretur esse unius pedis ; qui cogitaret Deum posse circulos in infinitum similes efficere , aliud nihil sibi repræsentaret nisi circulos quorum diameter pedalis esset. Proindeque ut hæc idea circulis omnibus fieret communis, abstractione opus esset, quâ mens à diversâ circulorum magnitudine præscinderet. Ergo &c.

Dices 3°. si idea ex singulari fieret per abstractionem universalis, dicendum esset ideam hominis quem in cœtu quodam viderem, quin ad determinatam ejus magnitudinem, orisque lineamenta attenderem, esse ideam universalem : atqui illud falsum est & absurdum. Ergo &c.

N. maj. locus enim, tempus, cœteraque adjuncta ita ad existentiam singularem & numericam determinant, ut certò sciatur eum qui in multâ hominum frequentiâ conspicitur, esse certum quem-

dam hominem, quamvis ignoretur quis & qualis sit. Ergo idea illa singularis est non universalis.

De universali in significando.

Universale in significando est nomen universale: nomen autem à Logicis terminus appellatur, quod propositionem terminet. Terminus universalis duplex est; alter collectivus, alter communis. Terminus universalis collectivus ille est cui adjunguntur particulæ universales, *omnis*, *nullus*; quæ individuorum collectionem exprimunt; ut omnis homo, nullum Brutum. Terminus communis ille est qui ideam pluribus communem significat; v. g. circulus, homo. Idea autem multis communis aut universalis fit per mentis abstractionem, ut diximus.

Cum omnia quæ existunt aut reipsâ possibilia concipiuntur, singularia sint & individua, necessarium videri posset, ut termini seu voces ad res illas designandas destinatæ forent singulares. Contrarium tamen in variis hominum linguis observatur, in quibus pleraque nomina generalia sunt & communia: quod profectò ratione & necessitate, non casu aut negligentiâ factum est.

Singulis enim quæ in hâc rerum universitate cernuntur individuis, si nomen

ſpeciale fuiſſet impoſitum ; ſingulorum lapidum, plantarum, brutorum &c. nomina, eorumque cum rebus ſignificatis, connexionem nemo memoriæ ſuæ mandare poſſet aut retinere ; cum prodigio ſimile duxerint omnes, quod Imperator ſingulos exercitus ſui milites nomine proprio appellare potuerit.

Quare homines ad idearum ſuarum objecta attendentes cum plura conſpexiſſent individua inter ſe ſimilia ; hæc ad certas claſſes revocaverunt, iiſque remotis quibus inter ſe differrent variarum claſſium individua, quæ in illis ſimilia cernebant ſola conſideraverunt ; ſicque ex ſingularibus ideam communem & univerſalem efformaverunt. Porrò terminus generalis ſeu communis ille eſt qui ejuſmodi ideam univerſalem exprimit & ſignificat.

Quoties individuorum cognitio partim utilis judicatur, ea nominibus appellamus generalibus ; Ex. gr. lapides, corvos, piſces communi appellatione deſignamus. Verum ſi quædam individua neceſſe videtur aut utile, ut diſtinctè cognoſcamus ; iis nomen ſpeciale tribuimus ; Ex. gr. ſingulos homines quibuſcum vitam agimus proprio nomine ſignamus. Immò ovium paſtor ſingulas oves, venator ſingulos canes, ſingulari nomine appellare ſolet.

Igitur & necessitate ut memoria non obrueretur, & utilitate ut sermo facilior esset atque expeditior, ut etiam in veritatis inquisitione nimia vocum multitudo moram non afferret; ideò termini generales & communes excogitati sunt.

Quotuplex numeretur universale in esse.

Quintuplex vulgò numeratur universale in esse, nempe genus, differentia, species, proprium, & accidens. Ex innumeris autem otiosis quæstionibus quas Dagoumerius cœterique philosophi de his universalibus instituerunt, ut quæ præcipua sunt, usûsque frequentioris intelligantur, sciendum est quid sit essentia.

Essentia rei ab esse fuit appellata; ideòque essentia rei id dicitur, quod ipsa res est; vel ut alii loquuntur, essentia rei est intima rei constitutio. Essentiam autem ex duabus quasi partibus conflari volunt, alterâ, quæ communis sit rei definitæ, aliisque ab ipsâ diversis; alterâ verò, quæ sit ejusdem rei propria & specialis.

Genus est pars essentiæ communis, seu attributum quo res cum aliis diversis rebus convenit: talis esse dicitur in circulo figura, per quam circulus cum triangulo, quadrato, cœterisque convenit.

Differentia est pars essentiæ specialis,

ſeu attributum per quod res ab iis diſcrepat quibuſcum per genus convenit. Talis eſt in circulo rotunditas, per quam circulus diſcrepat à triangulo, quadrato, cœteriſque quibuſcum per figuram convenit.

Tota verò rei eſſentia, quæ in multis individuis ſive exiſtentibus ſive poſſibilibus ſimilis eſt, appellatur ſpecies. Quare ſpecies genus & differentiam complectitur.

Proprium quadruplex à veteribus admittitur, nempe proprium, ut aiunt, primo modo, & illud dicitur quod convenit ſoli non omni; ſic ſoli, non omni homini convenit eſſe muſicum.

Proprium ſecundo modo, & illud dicitur quod convenit omni non ſoli, ut eidem convenit homini, quod ſit bipes.

Proprium tertio modo, & illud dicitur quod convenit omni, & ſoli; ſed non ſemper; ſic omni & ſoli animali, ſed non ſemper convenit motus ſpontaneus.

Proprium quarto modo illud eſt, quod omni & ſoli & ſemper convenit. Solum hoc proprium ſtrictâ ſignificatione proprium appellari poteſt, ſicque definitur.

Proprium ſtrictè dictum eſt attributum quod neceſſariò ex eſſentiâ fluere concipitur; ſic diviſibilitas eſt extenſionis realis

proprietas; quia ex extensione necessariò sequitur. Hinc est quod genus & differentia rei appellantur attributa primarià; proprium verò attributum secundarium.

Accidentis nomine hîc intelligitur, quod rei necessarium non est, vel ut aiunt, quod potest adesse vel abesse sine subjecti interitu; sic rotunditas respectu ceræ, vel alterius corporis.

Quale & quotuplex sit genus.

Genus in suo conceptu non includit differentias in quas dividitur, & quibuscum varias species constituit: sic figura in suo conceptu rotunditatem aut quadraturam non includit: si enim rotunditatem ex. gr. includeret, nulla esse posset figura, quæ non esset rotunda. Idem de omnibus dicendum generibus. Hinc natum illud axioma ab omnibus admissum philosophis; genus abstrahit à differentiis divisivis.

Quare 1°. genus est dumtaxat compatibile cum differentiis divisivis; 2°. differentiæ concipiuntur generi superadditæ. Ita sentiunt philosophi omnes, id tamen inter eos differt; quod Thomistæ asserunt in individuis cujuslibet speciei attributum genericum & differentiale reipsa non distingui, sed esse unam eamdemque rem,

unam eamdemque, ut aiunt, entitatem: Scotistæ verò, maximèque Dagoumerius contendunt genus & differentiam esse reipsà & independenter à nostrâ cogitatione duo distincta. Sic substantia, quæ genus dicitur respectu spiritus & corporis, in quolibet spiritu, & in animo meo existente reipsà distinguitur à spiritalitate.

Genus multiplex, aliud remotum, aliud proximum; remotum est, quando aliud genus medium reperitur inter ipsum & differentiam cum quâ speciem constituit; proximum verò quando nullum aliud est medium, sic *vivens* Dicitur genus remotum hominis; quia animal medium est inter vivens & rationale; animal verò proximum est; quia nullum aliud genus est medium

Item genus aliud supremum, aliud subalternum, aliud infimum. Supremum illud dicitur quod est omnium universalissimum, nullùmque agnoscit supra se; tale dicitur ens.

Subalternum, quod alterum suprà, alterum infra se admittit; sic vivens respectu hominis. Substantia enim genus est superius & universalius; animal verò inferius est, & ad pauciora extenditur.

Infimum quod suprà se alterum agnoscit, non verò infrà; sic animal suprà se habet hæc genera, *vivens*, *substantia*;

nullum verò infrà; ex quo fit ut proximè accedat ad differentiam; ideòque appelletur genus proximum.

Hinc quarumdam specierum genera ipsa sunt species relativè ad genera quædam superiora & universaliora; Ex. gr. animal est genus respectu hominis & bruti, ipsumque species est relativè ad vivens; corpus est quædam substantiæ species; & genus est plantæ & animalis.

Hinc etiam species aliæ infimæ, aliæ subalternæ &c.

Hanc generum & specierum seriem à genere supremo ad individuum exhibent stemmata, quæ Porphyrius & Purchotius texuerunt, vulgò dicta arbores Porphyrii & Purchotii: cumque à genere supremo ad individuum quasi per gradus fiat descensus; ideò hæc attributa appellantur gradus metaphysici; quod nomen jam tribuitur non attributis necessariis solùm, sed etiam affectionibus rerum contingentibus.

Quæres jam quid sint species & genera.

R. 1°. Species non sunt universalia in esse. Etenim inter contingentia sive existentia sive possibilia, nulla res aut natura reipsa unica est in multis individuis; ut jam demonstratum est. Idem de generibus dicendum.

2°. Species aliud nihil sunt nisi ideæ

quædam multis communes, quæ ex singularibus per abstractionem fiunt universales, communique nomine significantur. Quare species sunt mentis opera; nec proinde in rebus ipsis reperiuntur; quamvis rerum singularium similitudo menti nostræ fundamentum præbeat species efformandæ.

Hinc cum res aliqua cujusdam esse speciei dicitur, id significat rem illam posse repræsentari per ideam quæ omnibus ejusdem classis individuis propter eorum similitudinem communis est.

3°. Genera aliud nihil sunt nisi ideæ abstractæ & partiales specierum aliæ aliis universaliores prout plures vel pauciores differentias abstrahunt, sicque pluribus vel paucioribus rerum classibus diversis communes fiunt.

Itaquè si ab ideâ vulgari hominis abstraho rationalitatem; superest idea animalis, quæ ideâ hominis est universalior; quia hominibus & brutis convenit.

Si ab ideâ animalis abstraho ideam motus spontanei, sensuumque; remanet idea viventis, quæ ideâ animalis est universalior; quia ad plantas, bruta & homines extenditur. Sicque de aliis generibus universalioribus. Ita sentit cum omnibus philosophis Lockius. Atque ad hæc pauca revocantur, quæ fusiùs apud Lockium de generibus

generibus & ſpeciebus diſputata ſunt ; quæque multi putant ab eodem authore inventa ; cum tamèn in veterum philoſophorum ſcriptis frequentiùs nihil occurrat.

Quærendum ſupereſſet an ideæ generum arboris porphyrianæ, pluriumque aliarum, ſint meræ fictiones mentis, an verò exhibeant res poſitivas in individuis poſſibilibus poſſibiles, in exiſtentibus exiſtentes, quæ ſint dumtaxat compatibiles cum differentiis, & quibus differentiæ ſuperaddantur. Cui quidem quæſtioni ut lux major afferatur, de quibuſdem aliis priùs dicendum eſt.

De Ente.

Ens ab exiſtente dictum id omne appellatur quod eſt reale & poſitivum, quod nihilo opponitur, ideoque exiſtit aut exiſtere poteſt. Sic autem in nobis efformatur idea entis.

Cogitare nos cum ſentimus ; etiamſi ignoremus, quid ſit illud quod in nobis cogitat, non poſſumus, quin id concipiamus ut poſitivum quiddam & reale. Similitèr dum ea attendimus quæ extrà nos videmus, tangimus, quæque variis nos afficiunt ſenſationibus, ſive intimam eorum conſtitutionem cognoſcamus, ſive non cognoſcamus ; hæc non poſſumus non

concipere ut positiva quædam & realia; quæ omnia communi entis appellatione donamus; ut de omnibus simùl loqui possimus. Itaque ideam entis acquirimus per ideas eorum omnium quæ existunt, quæ positiva sunt; sive positiva sint & realia per aliquid simile, sive per aliquid diversum; sive eorum essentiam clarè cognoscamus; tumque maximè cum intimam constitutionem non cognoscimus. Hinc idea entis ex singularibus fit per abstractionem quamdam universalis, id est communis. Sed quâ ratione communis fit? Certè non eâ de causâ quod in rebus omnibus aliquid reipsà simile repræsentet, sed quod exhibeat aliquid, in quo res omnes conveniunt per oppositionem ad nihilum, scilicet quod sint quid positivum & reale, sive per aliquid simile sive per aliquid diversum.

Ex quo diversi generis admittendas esse abstractiones, perspicuum est.

Contendit Dagoumerius & cum ipso Scotistiæ, ens esse attributum quoddam primum in omnibus rebus simile, quod non cogitatione solùm sed reipsà distinguitur ab attributis suarum specierum differentialibus. Quod ut intelligatur referendæ sunt vulgares accidentis & substantiæ definitiones.

Substantia sic vulgò definitur ut sit ens

per se existens: *ens* est genus, *per se existens*, differentia. Ens nomine abstracto appellatur *entitas*; per se existens, *perseitas*.

Accidens definitur ens in alio existens, sive alteri tanquam subjecto inhærens: *Ens* generis locum tenet, *in alio existens* differentiæ; quæ nomine abstracto dicitur inalietas. Vult autem Dagoumerius ens reipsà & independentèr à conceptu nostro distingui à perseitate, & ab inalietate; ita ut substantia efformetur ex perseitate quæ reipsà sit enti superaddita; quod, ut ipsi videtur, à fortiori dicendum est de differentiis specierum inferiorum.

Cœteri verò philosophi cum Thomistis sentiunt ens solâ cogitatione distingui ab attributis suarum specierum differentialibus, quæ enti superaddi concipiuntur. Contrà

PROPOSITIO.

Ens non est attributum quoddam reale primarium in omnibus rebus simile, & à suarum specierum differentiis quârumque ratione vel etiam per cogitationem distinctum.

Pbr. idea entis efformatur per ideas rerum quarumlibet quæ reales sunt & positivæ, sive tales sint per aliquid simile, sive per aliquid diversum; sive intima

earum constitutio cognoscatur, sive non cognoscatur. Id fatentur omnes, & experientiâ constat. Ergo idea entis non repræsentat attributum aliquod à cœteris distinctum, cui differentiæ superaddantur.

2°. Attributa rerum differentialia per se ipsa, & per illud quo à se invicèm differunt, sunt positiva quædam; quæ proindè existunt, aut existere possunt. Ergo per se ipsa sunt entia, non verò per alterum quoddam attributum in omnibus rebus simile cui superaddantur, & à quo distinguantur.

3°. Si ens esset attributum quoddam reale à cœteris distinctum, in naturis possibilibus esset possibile, in existentibus existens: atqui illud absurdum. Ens enim in se sumptum, & quatenùs ab attributis differentialibus distinctum, esset dumtaxàt positivum quatenùs positivum, prætereàque nihil. Quis verò cogitare poterit aliquid existens, quod sit positivum quatenùs positivum, prætereàque nihil?

Immò ens posset solum & seorsìm ab aliis rerum attributis existere; quidquid dicat Dagoumerius. Cum enim in suo conceptu differentias non includeret, & ab ipsis distingueretur; esset dumtaxàt cum differentiis compatibile. Ergo posset

ſolùm & ſeorsìm ab aliis exiſtere. Aliquid igitur quod eſſet poſitivum quatenùs poſitivum, prætereàque nihil, poſſet ſupponi exiſtere ſolum, & ſeorsìm ab aliis omninibus. An vero poteſt eſſe aliquid abſurdum magis.

Hinc idea entis non exhibet attributum quoddam reale in omnibus rebus ſimile à cœteris rerum attributis ſive cogitatione ſive reipsà diſtinctum. Quocircà ſi quæ ſit idea abſtracta quæ objectum reale non habeat, ea eſt idea entis in ſe & ſeorsìm ab omni alio conſiderati.

Hinc ens mera eſt denominatio communis rebus omnibus ſive notæ ſint, ſive incognitæ non verò attributum aliquod reale à cœteris diſtinctum. Idem proinde dicendum de entitate.

Itaque ens non poteſt dici genus univocum reſpectu omnium rerum. Cum res diverſæ per illud ipſum quo differunt ſint entia.

Dices. In his propoſitionibus, animus eſt ens, corpus eſt ens; eadem eſt entis ſignificatio. Ergo ens eſt univocum, & aliquid in omnibus rebus ſimile.

Dg. ans. id eſt ens ſimilitèr ſignificat aliquid reale & poſitivum ſive ſit ſimile ſive diverſum. C. ans. Ens ſignificat aliquid ſimile in animo & corpore, quod ſit ab eorum attributis differentialibus

distinctum ; nego anteced. & consequentiam. Equidem prædictis propositionibus significatur animum & corpus , vel eorum attributa constitutiva non esse nihila , unum id dicitur : sed non significatur ea esse nihilo opposita per aliquid simile. Atque id requireretur, ut ens esset univocum respectu corporis & animi. Ergo &c.

Et verò cum corpus & animus considerantur ut entia , spectantur tantummodò tanquàm duo positiva. Atqui certè per se ipsa & quatenùs diversa, sunt duo positiva ; nec nisi per fictionem mentis cogitari potest *rationem positivi* esse in illis reale quiddam simile atque ab attributis eorum constitutivis distinctum. Ergo &c.

Tandèm ut quæ de ente sentienda sunt, benè intelligantur , philosophiam vulgi , experentiam , & linguarum originem consulamus : ad quod suppono duos homines gallum & italum sagaci quidèm ingenio præditos, sed in generum doctrinâ ita parùm versatos, ut Scotistis rudes omninò viderentur atque imperiti.

Quærit ex italo gallus num lapis & aurum similia sint. Utinam , inquit italus , hæc possem similia facere. Pergit gallus. Illis tamen cæterisque rebus omnibus nomen commune imponamus , quo signifi-

cabimus ea non esse nihila, sed quædam positiva, idque nomen sit *ens*.

Esto, inquit Italus, appellentur entia. Tùm Gallus: lapis igitur & aurum, animus & corpus sunt entia, sunt positiva. Ex quo sequitur hæc esse similia, saltèm sub ratione entis & positivi.

Ridens consecutionem negat Italus. Si enim, inquit, conventionis nostræ memor sis; ideò denominationem hanc communem prædictis rebus tribuimus, ut simùl de illis omnibus sermonem habere possemus, easque nihilo oppositas esse declaremus, non verò ut aliquid in illis simile, & ab attributis eorum constitutivis distinctum significaremus. Hæc enim inter se diversa cognovimus, etiam per illud positivum quo constituuntur.

Hinc patet ens esse denominationem eo sensu omnibus rebus communem quod significet eas non esse mera nihila, sed positiva quædam, sive similia sint, sive diversa; entisque ideam sic esse abstractam, ut res omnes repræsentet sub ratione positivi, nec tamen rationem hanc exhibeat tanquam aliquid ab attributis rerum constitutivis distinctum.

Scripta Philosophorum dùm legerem, sæpè animadverti ex notione entis neglectâ nimìs multos in Philosophiam errores magni momenti, multaque dima-

nasse axiomata falsa: ideò plura, jam dixi, quam postulare multis videbitur præsentis quæstionis utilitas. Verùm sempèr existimavi nihil non esse moliendum, ut generales ejusmodi notiones sint accuratæ.

De Existentia.

Cogitare me sentio, simùlque esse aliquid positivum actu, non potentiâ tantùm, etiamsi quid illud sit ignorem. Ideò existentem me & concipio, & appello.

Hanc autem mei ipsius conscientiam vagâ quâdam assimilatione cùm ad res distinctas aut diversas transfero, has etiam existentes mihi repræsento. Tùm hâc sui ipsius conscientiâ quædam spolio, sed ea certis locis assigno, sæpè cum variis relationibus distantiæ aut proximitatis, tùm inter se, tùm ad me ipsum; hæc quoque idcircò existentia cogito.

Itaque rem existentem eam intelligimus quæ sentiri potest, aut sensu quolibet apprehendi. Cùm verò evanescit res, desinitque esse aliquid positivum quod sentiri queat, aut quodam sensu apprehendi, tùm res non existit, nihilumque dicitur, & intelligitur.

Ex quibus perspicuum est quâ ratione in nobis efformetur idea rei existentis.

Cum autem abstractionibus delecte-

mur, quæsitum fuit quid in se sit ratio existentis, quæ ratio nomine abstracto appellata fuit *existentia*.

Dagoumerius abstractis quibuslibet nominibus aut ideis objectum reale tribuere solitus, vult existentiam esse formam quamdam, modumque positivum, quo essentia rei positivæ constituitur existens, quique ab eâ independentèr à cogitatione nostrâ distinguitur. Contrà illum cum cæteris omnibus Philosophis sit.

PROPOSITIO.

Existentia non est modus essentiæ rei positivæ superadditus, nec ab illâ ullatenùs distinctus.

Probatur. Exemplo sit animus meus, cujus existentia si modus esset positivus essentiæ animi superadditus, & ab ipsâ distinctus, vel animus existeret prius quàm modum hunc reciperet, vel priùs non existeret: atqui neutrum dici potest; non primum; nam si animus antè existeret, quam modum hunc positivum reciperet; jam illo modo non indigeret, ut constitueretur existens: non secundum; si enim animus priùs non existeret, modum hunc positivum & plusquam possibilem recipere non posset; priùs enim saltèm concipitur rem existere, quàm in illâ quidquam recipi. Ergo &c. 2°. Si existentia esset

modus essentiæ superadditus, posset Deus conservare essentiam extrà nihil sine tali modo. Quod est contradictorium. Ita *Suarez*.

Et verò modus ipse existeret, esset enim plusquàm possibilis, & extrà nihilum, ut loquuntur. Proindè si existentia esset modus positivus essentiæ animi, aut rei alterius superadditus, per quem ipsa constitueretur existens; modi illius essentia altero modo indigeret quo ipsa constitueretur existens; ille secundus modus tertium postularet, sicque in infinitum. Atqui nihil absurdum magis quàm progressus ille in infinitum: cùm enim unum quid positivum ad rem constituendam judicatur necessarium; nec tamèn unum id positivum admitti posse percipitur, quin infinita admittantur, & quidèm sibi succedentia, aliaque aliis superaddita; nemo est qui non videat, unum id positivum, quod requirebatur, esse chimæricum. Quidquid igitur dicat Dagoumerius, progressus in infinitum hoc sensu absurdus est.

3°. Nullam habemus ideam existentiæ in essentiâ rei positivæ velut in subjecto receptæ, & ab ipsâ distinctæ. Id claret tùm ex ratione quâ in nobis efformatur idea rei existentis; quod superiùs expositum fuit: tùm ex eo quod vulgaris de-

finitio quâ existentia in se & seorsim sumpta dicitur positio extrà nihil, sit omni sensu vacua; ceu verò ista vox *positio* quiddam positivum, & ab essentiâ rei distinctum significaret. Ergo &c.

Hinc minùs accuratè res dicitur suam habere existentiam; quâ loquendi ratione significari videtur existentiam rei esse aliquid positivum, esse modum quemdam rei superadditum, & ab ipsa distinctum. Cùm tamèn existentia in se sumpta, & seorsim ab essentiâ rei spectata, nihil sit reale, mera sit denominatio abstracta. Verùm quoniàm hæc loquendi formula usu recepta fuit, eâ & nos utemur.

Hinc quæ habent essentiam diversam, hæc & diversâ existentiâ donantur; cùm existentia aliud nihil sit, aut concipi possit, nisi ipsa rei essentia. Hinc quæ habent essentiam distinctam, habent & existentiam distinctam; quæ essentiam propriam, habent & existentiam propriam.

Hinc quod maximè observandum est, absurdum nihil videtur magis quàm rei positivæ essentiam in existentiâ ponere. Cùm existentia in se & seorsim sumpta nihil sit reale & positivum. Quod ex dictis demonstratum opinor.

Hinc tandem nomen illud abstractum *existentia* inventum est ut expenderetur quid sit in se ratio existentis; sed nulla

habetur idea quæ abstractam rationem hanc existentis tanquam aliquid ab ipsâ rei essentiâ distinctum exhibeat.

Hactenùs hæc, quæ paulò fusiùs erant explicanda; quoniam ex legitimâ existentiæ notione religatæ pendent multæ quæstiones, eæque non parvi momenti, ut in posterùm videbitur.

De rerum possibilitate.

Possibilitas vulgò definitur attributorum rei consensio; impossibilitas verò attributorum repugnantia. Sic, inquiunt, mons aureus & est, & concipitur possibilis, quia mons & aurum secum consentiunt, non sese excludunt: circulus verò quadratus impossibilis est; quia rotunditas quadraturam excludit. Hæc quidem ita perspicua videntur omnibusque obvia; ut ineptus & cavillator judicaretur, qui vel levissimam in illis difficultatem suspicaretur.

Equidem per illam attributorum consensionem non intelligitur conjunctio actualis aut coexistentia, sed sola compatibilitas. Quæri tamen potest utrum hæc attributa inter quæ consensio est, concipiantur existentia, an verò possibilia? Primùm dici nequit. Dicendum igitur ea concipi tantummodò possibilia. Verùm tandèm deveniendum erit ad attributa

ſimplicia & reipsà poſitiva, quæ ex aliis non componantur, niſi quis progreſſum in infinitum admittere non recuſet. Inſupèr quo argumento probari poſſet nullam eſſe rem poſitivam cujus eſſentia primaria unico attributo contineatur? Si autem negari non poſſit quædam eſſe attributa poſitiva verè ſimplicia; profectò illarum rerum poſſibilitas non erit attributorum conſenſio, quæ pluralitatem ſupponit.

Hæc obitèr dicta velim, ut intelligatur maturiùs expendendum eſſe, quâ ratione in nobis efformetur idea rei poſſibilis.

Ego verò lubens exiſtimarem nullam rem verè poſitivam per ideam repræſentari, quin exhibeatur tanquam exiſtens; alii dicunt, quin repræſentetur quid eſſet res, ſi exiſteret.

Quod certè mecum experietur, quiſquis ad ideas ſuas voluerit attendere. Exempli gratiâ, cùm exhibetur mons aureus, qui concipitur & eſt ſolùm poſſibilis; tamèn ut exiſtens repræſentatur; ideòque in vago quodam loco per cogitationem collocatur.

Inde ne ſequetur rem omnem quæ per ideam repræſentatur reverà exiſtere? Minimè gentium. Aliud enim eſt repræſentari quid eſſet res ſi exiſteret, eoque ſenſu

eam exhiberi ut exiſtentem; aliud eſt percipi rem actu exiſtere. Si enim res tanquam exiſtens repræſentetur, ſimùlque dicatur id ex eo ſolo oriri quod mens noſtrâ facultate pollet, quâ ideas ſemèl habitas poſſit pro nutu multiplicare, aut diversè inter ſe componere; cùm certò cognoſcatur vim illam parem non eſſe, ut res de non exiſtentibus reipsà fiant exiſtentes: ex eo perſpicuum fit res illas quæ repræſentantur velut exiſtentes, non tamèn exiſtere. Hinc fit, ut ſi quis in eo ſtatu verſetur in quo ad illum potentiæ defectum attendere non queat, is rem quam ſibi repræſentat, reipsà exiſtentem judicet, ut ex ſomniantibus patet aut delirantibus.

Ex his claret quâ ratione in nobis efformetur idea rei tantummodò poſſibilis.

Itaque res poſſibilis eſt ea quæ poteſt exiſtere, res verò impoſſibilis quæ exiſtere non poteſt. In rebus compoſitis, res poſſibilis eſt ea cujus attributa aut partes poſſunt coexiſtere aut conjungi. Ex. gr. Domus eſt poſſibilis, quia lapides, ligna, cæteræque partes ſecum invicèm poſſunt uniri, eoque modo diſponi qui ad domum conſtituendam neceſſarius eſt. Res verò impoſſibilis, cujus attributa aut partes in eodem ente ſeſe excludunt. Ex. gr. Circulus quadratus eſt impoſſibilis;

quia rotunditas ab eâdem figurâ quadraturam excludit.

Possibilitas duplex vulgò distinguitur : primaria, & secundaria. Primaria ea est quæ jam fuit definita; possibilitas secundaria est ipsa rei producibilitas.

Possibilitatem rerum primariam repetit Carthesius à liberâ Dei voluntate; author verò Epistolarum ad Materialistam ab omnipotentiâ Dei. Contrà cæteri omnes Philosophi res ex seipsis, & independentèr à Deo esse primariò possibiles opinantur.

PROPOSITIO.

Possibilitas rerum primaria ex libero Dei decreto nullatenùs oritur.

Probatur. Si possibilitas rerum primaria ex libero Dei decreto & volitione penderet, posset Deus pro nutu facere, ut circulus quadratus esset possibilis, triangulum verò esset impossibile: atqui illud absurdum est, ut claret. Quidquid enim Deus velit, non minus perspicuum est rotunditatem quadraturâ destrui, & vicissim. Ergo &c.

2°. Decreta divina supponunt res possibiles, non verò faciunt. Nam decreta divina supponunt ideas divinas; nihil enim experi potest, quin priùs cognoscatur. Ideæ autem divinæ res exhibere non

possunt nisi sint possibiles: nam inter possibile & impossibile nihil est medium; & certè impossibile non potest per ideam repræsentari. Ergo decreta Dei libera supponunt, non faciunt res esse possibiles.

Objices 1°. Omnia pendent à Deo; ergo & ipsa rerum possibilitas.

Dg. ant. Omnia pendent à Deo ut existant. Conc. ans. ut sint possibilia. Nego antecedens & consequentiam.

Dices: Ens omnipotens facere potest quidquid vult. Atqui Deus est omnipotens. Ergo, &c.

Disting. majorem. Potest facere quidquid vult si sit possibile. C. maj. si non sit possibile. N. maj. immò sibi contradiceret, si vellet impossibile, ex. gr. circulum quadratum. Ergo, id velle non potest.

Ob. 2°. cum Authore Elementorum Metaphysicæ experimentalis. Machina quædam putà horologium non intelligitur possibile, nisi quatenùs cognoscitur existere homines satis industrios & robustos, ut artis præcepta exequi possint. Ergo res non intelligitur possibilis, nisi quia cognoscitur causa quâ effici possit.

Dg. ant. Horologium non intelligitur possibile hominibus, nisi &c. Conc. ans. Possibile in se, n. ans. & consequentiam.

Inſ. cum eodem. Horologium relativum eſt ad artificis induſtriam. Ergo non eſt poſſibile, niſi per artificis induſtriam.

Dg. ans. Horologium eſt relativum ad artificis induſtriam, ut exiſtat, vel ut ſupponatur exiſtere. C. ans. ut ſit ex parte ſui poſſibile. N. ans. & cqm. Itaque niſi artifex horologii partes, earumque diſpoſitionem ad horas indicandas idoneam ſibi repræſentaret, nullâ polleret arte ad horologium efficiendum. Non poſſet autem hæc ſibi repræſentare, niſi eſſent in ſe poſſibilia. Ergo horologium priùs debet eſſe in ſe poſſibile quàm ulla ſit artificis induſtria; quæ proindè ad exiſtentiam potiùs quàm ad poſſibilitatem horologii ſpectat. Hinc artificis induſtria potiùs relativa eſt ad horologii poſſibilitatem quam ſupponit, quàm ipſa horologii poſſibilitas relativa eſt ad artificis induſtriam. Immò induſtria artificis in eo conſiſtit, quod horologii poſſibilitatem cognoſcat.

Dices. Omnem amove divinæ Omnipotentiæ ideam; poſſibile nihil erit niſi chimæricum. Ergo ab omnipotentiâ Dei oritur rerum poſſibilitas.

Nego antecedens. Cùm enim res cogitamus poſſibiles, rarò ad Dei omnipotentiam attendimus; nunquàm ad eam attendebant veteres qui mundum æter-

num necessariumque esse opinabantur.

2°. Aliud concipitur triangulum, aliud circulus quadratus. Ergo triangulum possibile non est aliquid chimæricum.

3°. Si res ita esset, Deus suam cognoscens omnipotentiam non aliâ cognitione indigere conciperetur, ut vellet, mundum præsentem, ex. gr. efficere. Atqui illud absurdum est. Alioquìn dicendum esset mundum præsentem quamdam esse omnipotentiæ divinæ portionem. Quod certè nemo dixerit.

Tandem nemo, nisi ineptus, diceret circulum quadratum esse impossibilem, quia Deus potentiam habet infinitam. Quæ enim inter hæc duo connexio esse aut concipi potest? Ergo impossibile ab omnipotentiâ Dei non oritur; proindeque nec possibile.

De Essentia.

Essentia rei ab esse sic appellata definitur illud quo res constituitur, id quod est ipsa est rei intima constitutio. Ex variis autem attributis aut qualitatibus rei cuilibet necessariis, quædam sunt quæ alia non præsupponunt ex quibus pendeant & sequantur, vel, ut loquitur Wolfius, quæ per alia non determinantur; hæcque vocantur primaria: quædam verò ex aliis dimanare intelliguntur; ideòque

appellantur attributa secundaria vel proprietates.

Jamverò essentia consistit in eo quod in re quâlibet primarium est, & ex quo cæteræ qualitates aut proprietates sequuntur, sine quo proindè res nec existere nec concipi potest; quare attributa essentialia ea dicuntur, sine quibus res nec existere, nec concipi potest. Ità sentiunt omnes Philosophi. Sic in triangulo tres anguli, triaque latera concipiuntur nihil priùs supponere, & ex illis deducuntur trianguli proprietates. Verùm in auro, ex. gr. gravitas quædam, ductilitas, color, cæteræque qualitates nobis cognitæ, ex quâdam intimâ constitutione nobis incognitâ oriri intelliguntur. Sic divisibilitas ex extensione sequitur. Quapropter illæ qualitates in auro, sicut divisibilitas in extensione attributa secundaria dici possunt, non primaria, non essentialia.

Ad rei cujuslibet essentiam duo omninò necessaria postulat Dagoumerius, genus & differentiam, quæ ambo vult esse positiva à se invicem reipsà distincta, ità ut differentia generi sit superaddita. Quare existimat nullum esse genus supremum, sed admittenda esse in re qualibet genera generum, differentiæ differentiarum in infinitum.

Refellitur Dagoumerii sententia.

1°. Quisque experitur cùm rem aliquam, purà triangulum, clarè & distinctè cognoscit, infinita genera infinitasque differentias in mente suâ non repræsentari. Imò cùm mens nostra sit limitata, infinitas rerum ideas distinctas simul habere non potest. Id tamen requireretur, si valeret Dagoumerii sententia, vel nihil clarè & distinctè possemus cognoscere. Nam, ut rem aliquam clarè & distinctè cognosceremus, requireretur ut ejus essentiam, ejus proindè genus & differentiam clarè & distinctè nobis repræsentaremus; ut autem genus clarè & distinctè exhiberetur; oporteret, ut illius generis essentia, & proindè genus & differentia, clarè cognoscerentur; ad quod necesse esset ut secundi illius generis genus & differentia clarè & distinctè exhiberentur, sicque in infinitum. Quare ut vel triangulum cognosceremus, ideas rerum infinitarum claras & distinctas in mente nostrâ simùl existere necesse foret. Ergo rem nullam clarè & distinctè possemus cognoscere.

Verbo dicam, vel illa genera generum & differentias differentiarum clarè & distinctè cognosceremus, vel non: si secundum; ergo nihil clarè & distinctè cognosceremus: si primum; ergo necessariæ essent cognitiones rerum infinitarum

claræ & distinctæ. Quod absurdum est.

2°. Jam probavimus ens quod dicitur genus transcendentale, non esse in se quid positivum à differentiis reipsà distinctum; quod etiam de aliis quibusdam generibus probabitur. Ergo non sunt admittenda genera generum in infinitum. Hinc rei cujuslibet aut etiam attributi essentiam ex genere proximo & differentiâ maximè propriâ conflari necesse non est; ideoque non requiritur, ut omnis definitio rei essentialis genere proximo constet & differentiâ maximè propriâ, ut loquuntur.

1°. Quia quædam sunt positiva simplicia; vel admittendus est progressus in infinitum.

2°. Si res contemplemur quales reipsa existunt aut possibiles sunt, quo argumento probari potest nullam esse essentiam realem quæ unico positivo contineatur; nullam, quæ tribus, quatuor, aut pluribus secum coexistentibus, quorum nullum ex altero sequatur, & ex quibus simul coexistentibus cæteræ proprietates deducantur? Sic enim fortassè constituuntur variæ corporum species.

3°. Nomina generica sæpè exprimunt ideas complexas partiales alterius ideæ magis complexæ, quæ ideæ idcircò unicâ voce significantur, ut sermo brevior sit

& facilior; sicque vitetur laboriosa idearum simplicium enumeratio. Si quis igitur ideas illas simplices enumeraret, profectò clariùs rem definiendam explicaret, quàm si genere uteretur. Atqui definitio ideò fit, ut rei essentia explicetur. Ergo in definitionibus uti genere proximo necesse non est.

Utrum essentiæ rerum contingentium sint immutabiles?

Præsens quæstio non de attributis rerum primariis solùm, sed etiam de secundariis aut proprietatibus instituitur.

1°. De rebus contingentibus agitur; ideòque si earum essentiæ immutabiles dicantur, independentes & necessariæ; id certè non intelligitur de rebus illis ratione existentiæ consideratis, aut de necessitate absolutâ; possunt enim de non existentibus fieri existentes, & vicissìm sed de necessitate hypoteticâ, ex hypotesi quod existant.

2°. Multæ variorum corporum qualitates quæ necessariæ judicantur, non ab intimâ corporum constitutione solâ, sed ab aëre aut igne, aliisque causis externis sæpè oriuntur. Fieri ergò posset per miraculum, ut servatâ corporis intimâ constitutione, tollerentur qualitates illæ.

3°. Quædam, imò plurima corpora

ideò quibusdam donantur qualitatibus, quia ex multis diversisque corporibus concrescunt variè unitis, & inter se dispositis. Possunt proprietates illæ desinere, & essentiæ mutari, non modò diversâ unione & dispositione earumdem partium, sed etiam quarumdam detractione, aliarumque additione.

Ex quo etiam intelligitur essentias omnes quæ ex multis positivis à se invicem independentibus; sed socialibus conflantur, quorumdam detractione, vel aliorum accessione mutari similitèr posse; insupèr eorum positivorum conjunctionem actualem, non secùs ac existentiam à Deo omninò dependere.

4°. Essentiæ unico nomine significatæ, ità sæpè per genus & differentiam definiuntur, ut generis aut differentiæ nomina possint diversis rebus convenire. Ex. gr. Homo vulgò definitur animal rationale. Vox animal significat corpus quibusdam sensibus externis, vitâ, motuque spontaneo præditum. Hæc autem reperiri possunt in corporibus omninò diversis. Jamverò posset Deus efficere corpus animalis à nostro diversum, animumque humano absimilem; totum quod ex eorum unione coalesceret, esset animal rationale, esset homo à nobis penitùs diversus. Quid indè? Essentiam hominis nomi-

nalem mutaret Deus. Idem de aliis similibus dicendum.

Itaque essentia alia nominalis, alia realis. Essentia nominalis illud est quod nomine quodam significamus. Sic essentia nominalis auri est corpus colore flavo, certâ quâdam gravitate, ductilitate, aliisque præditum qualitatibus. Essentia realis est intima constitutio ex quâ cæteræ rei proprietates dimanant. Ex. gr. Tres anguli, totidemque latera, sunt essentia realis trianguli.

5°. Si quis postularet an Deus facere possit, ut res quodam nomine designata, quæ certis quibusdam attributis essentialibus constare supponitur, eadem existat cum aliis tamen attributis; ejusmodi quæstio nugatoria esset & ridicula. Idem enim esset ac si quæreretur, utrum idem possit simùl esse & non esse. Hoc certè sensu essentiæ rerum sunt immutabiles. His prænotatis.

PROPOSITIO.

Essentiæ rerum sunt immutabiles.

Probatur. Nam quæ possibilia sunt aut secum invicèm sociabilia, nunquàm possunt sese excludere; quæ reverà sese excludunt, nunquam fieri possunt sociabilia; sic circulus non potest esse quadratus. Quæ sese necessariò exigunt, nunquam possunt sese

non exigere: ſic extenſio realis nunquam poteſt eſſe indiviſibilis. Atqui aliud nihil intelligitur, cùm eſſentiæ rerum dicuntur immutabiles, independentes, & neceſſariæ. Ergo tales reipsâ ſunt.

PROPOSITIO II.

Eſſentiæ rerum contingentium non ſunt aliquid poſitivum & reale ab æterno exiſtens.

Probatur. Eſſentiæ illæ ab æterno non exiſtunt, ſed dumtaxàt poſſibiles ſunt. Alioquìn omnia poſſibilia ab æterno exiſterent. Atqui quod non exiſtit, in ſe nihil eſt. Ergo eſſentiæ illæ in ſe nihil ſunt.

Obj. 1°. Eſſentiæ rerum contingentium habent ab æterno proprietates reales & poſitivas. Ergo ſunt quid reale & poſitivum ab æterno.

Nego ans. Nam in ſeipſis nihil ſunt. Ergo &c.

Inſtabis. Eſſentiæ rerum ſunt ab æterno cognoſcibiles. Atqui cognoſcibilitas eſt proprietas realis & poſitiva. Ergo &c.

Nego min. Nam 1°. cognoſcibilitas eſt mera relatio. Ergo non eſt proprietas poſitiva rei ſuperaddita.

2°: Ad cognoſcibilitatem rei ſatis eſt repræſentari poſſe quid res eſſet, ſi exiſteret. Atqui id repræſentari poteſt, quamvis res in ſe nihil ſit, & cognoſcatur rem

in se nondùm esse aliquid reale & positivum. Ergo cognoscibilitas non est proprietas realis in re existens.

Obj. cum Mallebranchio. Essentiæ rerum ab æterno sunt ipsæ ideæ divinæ, sunt perfectiones Dei extrà ipsum participabiles. Atqui ideæ divinæ, perfectionesque divinæ sunt aliquid reale & positivum etiam existens. Ergo &c.

Quidam Philosophi, authore Mallebranchio, aliud nihil concipiunt & loquuntur nisi ideas æternas, perfectiones Dei participabiles, portiones Divinitatis, emanationesque. Sed in hâc sermonis magnificentia quâ delectantur, aurefque audientium implent, verba sunt, vocesque canoræ, prætereàque nihil: quod ut ostendam.

Nego maj. Nam 1°. essentiæ rerum ab æterno sunt dumtaxat objecta idearum divinarum; atqui objectum ideæ non est ipsa idea. Alioquìn mundus materialis reipsà extensus & divisibilis, qui à me cognoscitur, esset idea mea. Quod absurdum est. Ergo &c.

2°. Essentiæ rerum non sunt perfectiones Dei. Deus enim non est extensus & divisibilis. Ergo &c.

Quare hoc solo sensu improprio quidèm dici potest essentias rerum esse perfectiones Dei extrà ipsum participabiles,

Deique emanationes, quod Deus potentiam habeat infinitam, quâ res contingentes de non existentibus fiant existentes; nisi quis in absurdam Spinosæ sententiam velit descendere.

Dices. Essentiæ rerum sunt necessariæ. Ergo sunt ideæ aut perfectiones divinæ.

Dg. ans. Sunt necessariæ necessitate hypoteticâ & convenientiæ. Conc ans. Necessitate absolutâ & existentiæ. Nego ans. Responsio patet ex præcedente propositione.

De Substantia.

Sic in nobis efformatur rei substantialis idea. Sensu intimo experimur multas in animo nostro sensationes, ideas, cæterasque affectiones alias nasci, alias interire, dùm intereà animus idem permanet. Ex quo mente concipimus affectiones illas, nisi in animo inessent & reciperentur, omninò non extituras; animum verò nostrum posse solum & sine alio in quo recipiatur, existere. Similitèr videmus ceræ varias advenire figuras, rotunditatem, quadraturam, easque evanescere, dùm interìm eadem cera perseverat. Inde fit ut intelligamus figuras, cæterasque omnes ceræ affectiones nihil futuras esse, nisi in cerâ inessent; ceram verò posse solam, & sine alio cui inhæreat, existere.

Itaquè res ſubſtantialis ea eſt quæ poteſt ſola, & ſine alio in quo recipiatur, exiſtere; è contrà res modalis. Errat igitur Lockius, cùm aſſerit lib. 2. c. 23. rem ſubſtantialem aliud nihil eſſe niſi collectionem cogitationum vel qualitatum ratione nobis ignotâ unitarum, quas ideò ſolùm in quodam ſubjecto fingamus exiſtere, quod non poſſimus imaginari, quî fieri poſſit ut per ſe ſubſiſtant.

Collectio enim vel unio, ſive cogitationum mentis, ſive qualitatum & figurarum corporis earum eſſentiam non mutat. Ergo cùm certum ſit ſingulas non poſſe exiſtere, niſi in re quâdam alterâ inſint; idem de earum collectione dicendum.

Multas autem exiſtere res ſubſtantiales, reverà diſtinctas, & à ſe invicèm diverſas, in dubium revocare poteſt nemo qui homo ſit. Sic corpora ſic homines ſunt totidem res ſubſtantiales, contingentes quidem & creatæ. Deus verò res eſt ſubſtantialis neceſſaria atque increata.

Ex eo autèm quod res ſubſtantialis in ſe recipiat quaſdam modificationes, quarum eſt veluti ſubſtratum, ſeu ſubjectum; hinc Philoſophi expenderunt quid ſit hæc ratio ſubſtrati ſeu ſubjecti in ſe & ratione ſui ſolius conſiderata, quam ſtatìm nomine abſtracto ſubſtantiam à *ſubſtante* ap-

pellaverunt : quod etiam nomen ſæpiùs uſurpatur pro eo quod in re præcipuum eſt. Subſtantia in abſtracto vulgò definitur ens per ſe exiſtens, id eſt exiſtens independentèr ab alio cui inhæreat. Alii dicunt, ſubſtantia eſt ens exiſtens propriâ exiſtentiâ. Accidens verò definitur ens in alio, id eſt in ſubjecto exiſtens.

Duo in ſubſtantiâ admittuntur attributa poſitiva, nempè ens, & per ſe exiſtens, aut exiſtentia propria; quæ terminis abſtractis, appellantur *entitas* & *perſeitas. Entitas* eſt genus, *perſeitas* verò differentia. Quare ſubſtantia ratione ſuì ſolius ſpectata eſt natura quædam poſitiva, & in ſe completa, utpotè quæ ſuo conſtet genere, ſuâque differentiâ.

Dagoumerius cum Scotiſtis aſſerit in variis rerum ſubſtantialium ſpeciebus ſubſtantiam eſſe naturam quamdam poſitivam ratione ſui ſolius ſimilem, & ab attributis ſpecierum differentialibus reipsà diſtinctam; ideòque vult varias rerum ſubſtantialium ſpecies ex duobus efformari ſcilicet ex illâ ſubſtantiæ eſſentiâ, & ex attributo quodam differentiali, quod ſubſtantiæ reipsà ſit ſuperadditum. Ex. gr. ſupponamus, quod falsò exiſtimant quidam Philoſophi, attributum conſtitutivum & differentiale ſpiritus eſſe facultatem cogitandi, materiæ verò, extenſionem

realem : juxtà Dagoumerii sententiam, spiritus ex duobus conflatur, ex substantiæ naturâ tanquàm genere, & ex cogitandi facultate tanquàm differentiâ, quæ est generi superaddita, & ab ipso reipsà distincta. Materia autem coalescit ex substantiæ essentiâ ratione sui solius ubique simili, & ex reali extensione quæ generi superadditur, & ab ipso reverà distinguitur. In hoc solo Thomistæ à Scotistis discrepant, quod contendant substantiæ naturam ab attributis differentialibus solâ cogitatione nostrâ, non reipsà distingui.

Quæ opinio ut refelleretur, fortassè satis esset, si Philosophos illos ad propriam remitteremus conscientiam. Quisquis enim, inquit Lockius, lib. 2. *de intellectu humano*, c. 23. seipse interrogabit, ut expendat, quænam ipsi affulgeat cognitio substantiæ in se & ratione sui solius consideratæ, videbit aliam nullam sibi affulgere substantiæ notionem, nisi substrati nescio cujusdam omninò ignoti. Si quis autèm ab illo quæreret, quid in se sit ejusmodi substratum, non minùs esset impeditus quàm Indus quidam, qui cùm dixisset terram elephante sustineri, quærenti quo sustentaretur elephas; reposuit, testudine : sed cùm urgeretur, ut diceret quo pacto ipsa testudo susti-

neretur, respondit, aliquâ re, quam non cognoscebat. In hoc autem casu, sicut in aliis, in quibus voces adhibemus omni ideâ clarâ & distinctâ destitutas; loquimur ut infantuli, qui benè se respondisse gloriantur, cùm ab illis quæritur, quid sit tale corpus ipsis ignotum, modò reponant esse aliquam rem. Hoc enim responsum, sive ab infantibus, sive à viris allatum, clarè significat rem de quâ agitur ipsis omninò ignotam esse.

Ex quibus concludit Lockius nullam haberi ideam substantiæ in se, & ratione sui solius consideratæ; hancque prætensam cognitionem esse tantummodò suppositionem quamdam, mentisque fictionem omninò arbitrariam.

Certum quidem est, ut jam dixi, multas existere res substantiales, homines, corpora, &c. easque esse subjectum quorumdam modorum. An verò illud substratum sit natura quædam positiva in spiritu & corpore similis, cui ex unâ parte superaddatur *spiritalitas*, ex alterâ *materialitas*, seu hæc attributa per quæ spiritus & materia constituuntur, atque inter se differunt; id profectò nulla idea docet.

Contendo è contrà spiritalitatem per seipsam quatenùs est attributum spiritus constitutivum & differentiale, esse sub-

stantialem, non verò per quamdam substantiæ naturam à spiritalitate eâdem ratione distinctam, quâ animus noster à suis affectionibus distinguitur. His prænotatis.

PROPOSITIO.

Substantia in se & ratione sui solius considerata non est natura quædam positiva in spiritu & materiâ similis, cui *spiritalitas* ex unâ parte, & *materialitas* ex alterâ sit superaddita.

Probatur 1°. nullam habemus ideam ejusmodi substantiæ similis in materiâ & spiritu, atque ab attributis eorum differentialibus distinctæ. Id patet, tùm ex prænotatis; tùm ex vulgaribus substantiæ & accidentis definitionibus, in quibus mente non concipitur quid sit substantia, nisi per oppositionem ad accidens, nec quid sit accidens nisi per oppositionem ad substantiam, seu substratum nescio quod; atque in his duobus intelligendum superest quid sit illud substratum. Nam substantia definitur ens existens independenter à subjecto cui insit; accidens definitur ens existens in subjecto cui inhæreat. Atqui in his definitionibus non explicatur quid sit illud subjectum seu substratum; quod tamèn ipsum est substantia. Ergo &c.

Tùm quia ex eo quod animus noster

actuales quasdam affectiones in se sentiat, intelligimus quidem oportere ut ipse non sit nihilum, sed quid positivum; ut ipse sit quid permanens, quod solum & sine alio sustentante existat. Sed ex iis nullatenùs colligitur esse in animo substantiam quamdam, seu substratum ab attributo differentiali & constitutivo animi distinctum. Ergo &c.

2°. Natura illa substantiæ in spiritu & materiâ similis, esset positiva; nec tamen ulla haberet attributa positiva. Nam attributa illius subjecti essent *ens*, & *per se existens*, id est *ens* & *existentia propria*. Atqui & *ens* & *existentia* in se ipsis & ratione sui solius spectata non sunt reale quiddam & positivum, nec nisi fictione mentis admitti possent ut aliquid distinctum à rebus quæ sunt ens & quæ existunt; quod probatum est. Ergo &c.

Et verò entitas & perseitas essent ambæ, ex Dagoumerio, formalitates seu entia in alio. Quod certè absurdum est; tùm quia ens per se existens, non potest ex formalitatibus coalescere magìs, quàm ens necessarium ex contingentibus; tùm quia alterum desideraretur substratum in quo ipsæ existerent, imò & substrata in infinitum. Ergo &c.

3°. Si substantia esset natura quædam positiva similis in materiâ & spiritu cui

superadderentur attributa quibus materia & spiritus constituuntur, & à se differunt, 1°. hæc substantiæ natura esset dumtaxàt compatibilis cum attributis illis differentialibus; ea quippe in suo conceptu non includeret. 2°. Hæc attributa spiritus & materiæ differentialia essent propriè dicta accidentia, seu entia in alio; nihil enim medium est inter accidens & substantiam, cui hæc attributa dicerentur superaddita. Atqui ex his multa sequuntur absurda.

Primùm. Oppositionem esse spiritum inter & materiam ex eo probatur, quod illorum attributa constitutiva & differentialia exigunt subjecta opposita & essentialitèr diversa: atqui res ità se non haberet. Hæc enim attributa differentialia reciperentur in substratis, quæ essent naturæ cujusdam substantiæ ratione sui similes. Ergo &c.

Secundùm. Si substratum in quo recipitur extensio simile sit substrato in quo recipitur cogitatio; idem omninò successivè fieri posset subjectum extensionis & cogitationis. Res enim quælibet potest semper substitui in locum alterius omninò similis, ut notum est omnibus Mathematicis. Ergo res eadem posset successivè fieri spiritus & materia. Immò & simul: id enim si successivè contingere possit, non video cur in subjecto extensione donato,

non posset simul recipi cogitatio. Eodem argumento probaretur idem substratum fieri posse successivè animum humanum & divinum ; à quibus abhorret sensus omnium communis.

Tertium. Supponi posset substantia existens quæ neque spiritus esset nec materia. Substratum enim illud esset tantummodò compatibile cum attributis materiæ & spiritûs constitutivis. Ergo posset sine illis supponi existens. Quod ineptum est & ridiculum.

Hinc 1°. substantiæ nomen abstractum est, ex eo quod animus & corpus quibusdam veluti subsint affectionibus quas in se recipiunt. Ex hâc autem quodammodo simili functione, nonnisi erroneâ mentis abstractione fingi potest substratum quoddam vagum, quod sit reale quid & positivum simile, atque ab attributis animi & corporis differentialibus distinctum. Quare substantia seu substratum in se & ratione sui solius spectatum, nihil est.

Hinc 2°. attributa corporis animique constitutiva per se ipsa sunt substantialia, id est idonea, ut quibusdam subsint modificationibus.

Hinc 3°. substantiæ nomen æquivocum est; cùm res omninò diversas significare possit, nempè positiva illa quibus animus

& corpus constituuntur, & à se invicèm differunt. Quare substantia non est genus univocum respectu materiæ & spiritûs, Dei, & creaturæ. Si enim substantia Dei esset genus univocum; Deus, spiritus creati, & corpora non differrent, nisi per attributa quædam naturæ substantiæ in omnibus simili superaddita; ideòque hæc attributa essent entia quædam modalia, eoque sensu accidentia; cùm inter substantiam & accidens nihil sit medium. Nemo autem, ut opinor, fatebitur Deum, spiritus creatos, & corpora, solis accidentibus & modis à se invicèm differre.

Quæ ad substantiam pertinent, paulò fusiùs exponenda duxi propter cognationem necessariam, quam habent cum existentiâ Dei, systemate Spinosæ, discrimine essentiali quod animum inter & corpus intercedit.

Obj. Habemus ideam substantiæ positivam, cùm de illâ ratiocinemur, multaque demonstremus. Ergo &c.

Dg. ans. Id est, habemus ideam rei substantialis. C. ans. Id est habemus ideam substantiæ ratione sui solius consideratæ, & ab attributis differentialibus materiæ & spiritûs distinctæ. Neg. ans. & cqm. Cùm Philosophiæ Magistri per modum definitionis tradant quæ de substantiâ dicunt; hæc auditores lubentèr amplectuntur, nec

curant expendere quâ viâ in nobis efformetur idea rei substantialis; ad quod si attenderent, certè experirentur nullam sibi inesse ideam substantiæ ratione sui solius consideratæ; quod ex dictis perspicuum est. Ergo &c.

Dices. Illud est univocum respectu corporum atque animorum in quo animi & corpora conveniunt; atqui animi & corpora in ratione substantiæ conveniunt. Ergo substantia est univoca, &c.

Dg. min. Animi & corpora conveniunt in ratione substantiæ, id est conveniunt in vagâ functionis cujusdam assimilatione, ex quâ communis substantiæ à *sub-stante* denominatio exorta est. Conc. min. Id est conveniunt in naturâ quâdam positivâ substantiæ, quæ in illis similis sit, atque ab eorum attributis differentialibus distincta. N. min. & cqm.

Ut res penitùs intelligatur, fiatque luce meridianâ clarior, altiùs repetenda videtur; atque ab ipsâ ratione quâ in nobis efformatur idea rei substantialis exordium sumendum est.

Experimur varias cogitationes in omni puncto temporis alias nasci, alias interire; quas cùm secum invicèm comparamus, certissimè concludimus animum nostrum permanere; ideòque posse solum & sine alio existere. Idem in corporum modifi-

cationibus evenire cernimus. Cera namque modò in sphæram, modò in cubum compingitur eadem remanens. Idcircò ceram atque animum res substantiales appellamus & concipimus. En quâ ratione in nobis efformantur rerum substantialium ideæ; quod nemo negaverit.

Cùm autem animi & corpora modificationes quasdam in se recipiant, earumque sint veluti substrata; ex vagâ functionis hujus similitudine similitèr appellati sunt, abstracto nomine, substantiæ seu substrata. Hinc animis & corporibus communis substantiæ denominatio concessa est. Verùm ex vagâ functionis hujus similitudine, quis concluderet in animis & corporibus existere naturam quamdam substantiæ, seu *substantis* in illis sui solius ratione similem, atque ab earum attributis differentialibus distinctam? Proindè quasi non possent animi & corpora per aliquid reipsà diversum diversas modificationes sustinere, earumque esse veluti substrata? Quod in probationibus jam demonstratum est. Ergo &c.

Inst. Attributa corporum atque animorum constitutiva, non possunt esse substantialia, nisi per aliquid reale & positivum ab illis saltèm cogitatione distinctum. Ergo, animi & corpora conveniunt in ratione substantiæ, quæ sit natura

quædam positiva in illis similis, atque ab eorum attributis differentialibus distincta.

N. ans. Nam fatentibus adversariis esse substantiale, est esse ens, & per se existens, id est, inquiunt, existens existentiâ propriâ; atqui attributa materiæ & animi constitutiva & differentialia per se ipsa, non verò per aliquid ab ipsis etiam cogitatione distinctum, 1°. sunt entia; sunt enim positiva quædam, non merum nihil: 2°. existunt existentiâ propriâ, non alienâ; maximè cùm existentia non sit aliquid rei superadditum. Ergo &c.

Inst. Attributa materiæ & spiritûs constitutiva vel sunt substantialia per aliquid positivum, ab ipsis saltèm cogitatione distinctum, vel per merum nihil. Atqui non possunt esse substantialia per merum nihil; cùm res nulla magìs positiva sit, quàm quæ substantialis est. Ergo &c.

Æquivocatio, ex quâ solâ vim quamdam habere videtur præsens argumentum, antè tollenda quàm respondeam

Res substantialis maximè positiva est, non merum nihil. Ratio autem rei substantialis est ne quid positivum rei superadditum, & ab ipsâ saltèm cogitatione distinctum, an verò nihil positivum superadditum? en quæstio; quo sensu, nego minorem propositionem, & dico: attri-

buta materiæ atque animi differentialia esse substantialia per merum nihil, eo sensu quod ratio substantialis non sit quid positivum ab ipsis, vel cogitatione distinctum. Quod patet, tùm ex dictis, tùm quia esse substantiale, ut adversariis placet, est esse subjectum quarumdam modificationum. Atqui attributa materiæ & spiritûs constitutiva per se ipsa possunt esse modificationum subjectum, cùm eas possint in se recipere. Ergo &c.

Quid sentiendum sit de generibus?

Quod sentit Dagoumerius de substantiâ, idem de cæteris generibus opinatur, eaque contendit esse totidem realia & positiva à differentiis specierum independentèr à nostrâ cogitatione distincta, quibus differentiæ reipsà sint superadditæ.

Jam dixi ens & substantiam ratione sui solius considerata, meras esse denominationes, & quædam nomina abstracta quibus nullum significatur objectum reale & positivum. Cætera verò genera quæ innumerabilia sunt, sigillatìm percurrere nec vacat, nec placet. Quædam tamèn expendere consilium est, ut quæ de illis dicturus sum, eadem de aliis dicta esse judicet, qui voluerit.

Exemplo sit animal quod abstrahendo

etiam ab hominibus genus est in variis brutis. Vitâ, sensuum quorumdam usu, motuque spontaneo inter se conveniunt belluæ; ex hâc autèm quâdam functionum similitudine, quantùmvis imperfectâ, intellectus tamen fundamentum arripit supponendi quoddam principium illarum functionum reipsà simile, quod nomine animalis significatur & exprimitur. Cùm autem belluarum differentiæ sensibiles sint & obviæ, judicatur eas differentias naturæ animalis, quæ jam supponitur in omnibus similis, esse superadditas. Verùm illud est fictio mentis & arbitraria suppositio. Nam principium vitæ, sensuum, motûsque proprii omninò diversum est in vermibus, serpentibus, volucribus, piscibus, quadrupedibus, horumque omnium innumeris speciebus; cùm functiones illæ ex variarum omninò partium diversâ penitùs dispositione oriantur; illud tamèn principium vagâ quâdam abstractione fingimus simile, propter quamdam & imperfectam functionum similitudinem: quemadmodùm ex diversis solis effectibus, cùm ceram liquefacit, lutumque indurat, diversas in Sole virtutes cogitamus. Ergo, 1°. animal non est quid reale, positivum, in brutis simile atque ab attributis differentialibus distinctum. Quis enim dicere posset animalitatem ostreæ,

vermis, equi, & salmonis esse similem?

Secundo loco sit metallum, quod genus est respectu auri, argenti, ferri, &c. Metalli nomine significatur corpus quod colore, gravitate, malleabilitate, fusibilitate indeterminatis donetur; quoniam his qualitatibus inter se conveniunt aurum, argentum, ferrum &c. Atqui metallum hoc sensu intellectum non est quid reale, positivum simile in auro, argento, &c. & ab eorum attributis differentialibus distinctum. Si enim ità se res haberet; cùm essentia generis existere debeat in individuis existentibus, existeret corpus prædictis qualitatibus indeterminatis donatum. At certè nihil existit cujus qualitates non sint determinatæ. Præterea species à genere in hoc solo discreparent, quod prædictæ qualitates in speciebus essent determinatæ, in genere autem indeterminatæ. Verùm species generi differentiam addit, ut aiunt, non solam determinationem. Ergo &c.

Reliqua prætermitto genera; intereà tamen observetur 1°. naturam spiritûs genericam in Deo, Angelis, animisque humanis similem ideò fingi, quia cùm aliam non habeamus spiritûs notionem, nisi quam ex reflexione in animum nostrum haurimus; spiritus alios cogitare non possumus, quin illis tribuamus quæ

in nobis jam novimus. Non alio nititur fundamento natura ſpiritûs generica in omnibus ſimilis; cujus exiſtentiam & realitatem nullâ ratione certâ novimus.

2°. Poſſumus equidèm multas qualitates aut functiones, quas in omnibus, ſive ejuſdem, ſive variarum claſſium entibus deprehendimus, unâ ideâ complecti, eaſque per cogitationem à rebus ipſis præſcindere, quo ſenſu abſtrahentium non erit mendacium: at ſi ex illis qualitatibus aut functionibus imperfectè ſimilibus, cogitemus qualitatum ſubjectum aut functionum principium in illis entibus reipsâ ſimile; quod abſtractione ſeparemus à qualitatibus aut functionibus, imò & ab attributis differentialibus diſtinctum concipiamus; ejuſmodi abſtractiones ſunt fictiones mentis, & arbitrariæ ſuppoſitiones. Horum enim ſubjectorum aut principiorum realitatem certò non percipimus, ideamque habere volumus magìs, quàm habemus. Jam verò generibus ſignificantur qualitatum ſubjecta, aut functionum principia. Ergo pleraque genera meræ ſunt mentis fictiones, aut arbitrariæ ſuppoſitiones.

De Individuo.

De Univerſalibus jam diſputatum eſt; deinceps de Individuo dicendum. Quoniam

opposita juxtà se posita elucescunt magis. Priùs tamen expendendum est quid sit unitas.

De Unitate Entis.

Subtilissimè pro more suo, & copiosissimè de unitate entis disserit Suarez, disp. 4. sect. 1.

1°. Res una non constituitur per aliquid positivum, sive cogitatione, sive independentèr à cogitatione ab ipsâ re distinctum. Tùm quia id positivum esset unum, & proindè requireretur alterum positivum quo ipsum fieret unum, & sic in infinitum. Quod absurdum est. Tùm quia abstrahendo à quolibet positivo quod vel cogitaretur superadditum, res in se concipitur una. Ergo.

2°. Res igitur constituitur una per meram negationem, scilicet per negationem divisionis in se. Itaque res una est res indivisa in se, id est quæ in se non dividitur in alias quæ tales sint, qualis ipsa est. Sic Petrus est res una, quia in se non dividitur in multas res quæ tales sint, qualis ipse est, id est in multos Petros.

Unum alii definiunt id quod est indivisum in se, & divisum à quolibet alio. Verùm ad unitatem propriè dictam non requiritur divisio à quolibet alio. Nam 1°. ut res sit una, sufficit ut una sit ex multis. 2o. Digitus est unus, etiamsi à

corpore non sit divisus. 3°. Deus esset unus, etsi extrà ipsum quælibet altera res impossibilis supponeretur. Nec tamen dici posset ab aliis divisus; quoniam alia nulla essent.

Unum & unicum in eo differunt quod unicum negat consortium alterius; unum verò consortium illud non negat. Sic Deus non modò unus est, sed unicus; quilibet verò homo unus est, non unicus.

Unum aliud per se & propriè dictum, aliud per accidens & impropriè dictum.

Unum propriè dictum est res omnis sive simplex sive composita quæ multa non complectitur à se invicèm divisa : è contrariò unum per accidens sive impropriè dictum. Sic exercitus, silva, quælibet congeries rerum separatarum. Hæc autèm dicuntur unum moralitèr, id est secundum communem hominum æstimationem; non quod reipsà sint unum, sed quod ad aliquid unum tendant & ordinentur. Ex quibus perspicuum est unitatem similitudinis, specificam, genericam, unitates esse impropriè dictas.

Quid sit individuum?

Individuum aut singulare universali opponitur. Nulla autem res sive existens sive reipsa possibilis est universalis; ut probatum est ubi de universalibus. Ex quo

claret rem omnem sive existentem sive reipsâ possibilem individuam esse & singularem.

Individuum definitur id quod in se indivisum est; vulgò additur, & divisum à quolibet alio; sed perperàm hæc adduntur, ut patet ex præcedente quæstione.

Quæritur quid sit illud quo res constituitur individuum; id appellatur, gradus numericus, individuatio, forma aut principium formale individuationis, ab aliis differentia numerica. Sed minùs accuratè, ut advertit Dagoumerius; nummi enim duo aurei perfectè similes sunt individua, nec ulla inter eos differentia reperitur. Vocatur etiam hæcceitas, in Lentulo lentuleitas, in Petro petreitas &c. quæ nomina ipsi Ciceroni non fuerunt improbata.

Quæ hîc movetur difficultas, inquit Dagoumerius, meo quidem judicio, insuperabilis est. Nec mirum; vult enim laudatus Philosophus id quo res individua constituitur, esse aliquid reale & positivum essentiæ superadditum & ab ipsâ independentèr à cogitatione nostrâ distinctum. In quo assignando & explicando insudat multùm, frustràque laborat; cum nihil sit. Cœteri verò Philosophi gradum numericum solâ cogitatione ab essentiâ distinctum asserunt. Contrà.

PROPOSITIO.

Principium formale individuationis, ut loquuntur, non est aliquid reale & positivum essentiæ rei superadditum, & ab ipsâ re etiam cogitatione distinctum.

Pbr. 1°. si res constituitur individua per aliquid reale & positivum essentiæ superadditum, ille modus positivus cùm ipse individuus esset, altero indigeret modo positivo quo ipse individuus constitueretur; ille secundus modus alterum postularet, sicque in infinitum. Atqui illud absurdum est. Ergo &c.

Hinc res quælibet existens aut verè possibilis per se ipsam individua est & singularis. Quare individuatio in se nihil est.

Pbr. 1°. ex propositionis probatione.

2°. Individuum illud solum dicitur quod est unum propriè dictum: individuum enim sicut & unum id definitur quod est in se indivisum. Atqui res quælibet sive existens sive reipsà possibilis est per se ipsam una est enim indivisa in se. Ergo &c.

Et verò res antè concipitur una, & proinde individua, quam ullus modus ei advenire cogitetur; imò si cogitatione res à quâlibet formâ separetur, sempèr in se una concipitur. Ergo individuatio non est forma quæ vel cogitatione ab essentiâ rei distinguatur,

Ob. 1°. Cum Dagoumerio res non eſt alba niſi per albedinem, non eſt rotunda niſi per rotunditatem, non eſt amans, niſi per amorem. Ergo nec eſt individua niſi per formam individuantem.

Nego conſequentiam. Ratio diſcriminis eſt quod amor ſit modus animo ſuperadditus, ex quo fit ut animus concipi poſſit exiſtens aut poſſibilis ſine amoris actu. Res verò quælibet concipi non poteſt exiſtens aut poſſibilis, quin concipiatur una, ſeu quod idem eſt individua. Ergo &c.

Inſtabis 1°. natura humana Petri in ſe ſumpta eſt natura communis omnibus hominibus. Ergo non ſingularis & individua.

Dg. ans. Eſt natura communis, id eſt ſimilis in Petro & Paulo. C. ans. ſecùs. Neg. ans. & cqm. Jam verò non alio ſenſu natura humana in Petro & Paulo dicitur communis; niſi quia eſt ſimilis. Priùs autem eſt naturam eſſe unam in Petro, & unam in Paulo, quam eſſe ſimilem. Si ſit una in Petro, & una in Paulo, eſt in utroque individua. Ergo natura humana Petri in ſe ſumpta ſingularis eſt & individua.

Certè non eſt eo ſenſu communis, quod ipſa Petri natura in ſe ſumpta fieri poſſit natura Pauli, vel Paulo communicari; reverà quippè diſtinguuntur. Atqui tam

repugnat

repugnat ex iis quæ reverà distinguuntur unum fieri posse alterum, quam eæ quæ sese excludunt fieri posse coexistentia & convenientia. Ergo &c.

Instabis 2°. natura humana Petri ut sic, id est quatenùs humanitas, est natura specifica. Ergo non singularis.

N. conseq. Nam species merum est opus mentis, nihilque positivum & reale naturæ singulari superaddit. Naturam enim esse specificam, seu cujusdam speciei, est ipsam posse propter suam cum naturâ distinctâ similitudinem per eamdem ideam repræsentari. Atqui, hoc posito, natura specifica nihil positivum superaddit naturæ singulari; imò est ipsa natura singularis, quæ per seipsam est ùna, distincta ab alterâ, similis; ideòque potest per eamdem ideam repræsentari. Ergo &c. Quare natura specifica non est natura quædam universalis, vel ab individuis in seipsâ abstrahens; sed individuum specificum debet appellari.

Ins. 3°. Natura humana universìm est natura præscindens ab individuis, ad cujus similitudinem Deus individua efficit. Ergo individuatio aliquid superaddit naturæ humanæ ut sic seu in se sumptæ.

N. ans. Natura enim, sive humana, sive altera quælibet generatìm sumpta, non est natura quædam præscindens ab

individuis, & ad cujus similitudinem efformentur individua, ut probatum est ubi de universali in esse.

Et verò chimærica est natura præscindens ab individuis, si ipsa individua est & singularis. Atqui natura humana quæ supponeretur velut quoddam exemplar, coram intellectu divino posita, cujus ad similitudinem singuli homines efficerentur, quin ipsa periret aut imminueretur, ejusmodi natura ipsa esset individua & singularis. Esset enim in se una, in se indivisa, singulis ab hominibus distincta, ab illis divisa, utpotè qui extrà illam efficerentur, imò & incommunicabilis; ipsa enim eadem in se maneret, nec transferretur ad singulos homines; sed naturæ distinctæ & similes extrà ipsam producerentur. Ergo nulla natura tam esset individua & singularis.

Obj. 2°. Idea ex singulari fit per abstractionem universalis. Atqui fieri non posset per abstractionem universalis, nisi singularitas seu individuatio esset aliquid saltèm cogitatione superadditum, atque à re distinctum. Ergo &c.

Dg. maj. Idea ex singulari fit universalis per abstractionem à differentiis accidentalibus. C. Per abstractionem ab ipsâ singularitate, N. maj.

Ut idea fiat universalis seu communis,

sufficit ut repræsentet in re singulari aliquid quod sit commune, id est simile in multis. Atqui ad hoc non requiritur ut abstrahat ab ipsâ singularitate vel unitate. Unitas enim non impedit similitudinem. Ergo &c.

Ex. gr. Ex ideâ Ciceronis quæ singularis est, efformatur idea universalis hominis, si præscindantur differentiæ accidentales quibus Cicero à cæteris hominibus discrepat; eaque sola exhibeantur quæ in Cicerone cæterisque hominibus similia sunt. Id autem non est abstrahere ipsam singularitatem; hæc enim idea naturam hominis ut unam repræsentat; & proindè ut individuam.

Hinc Purchotius, parte 1. Log. c. 3. Ideam universalem vocamus, inquit, quæ singularis quidèm in se est, multa tamèn exhibere potest singularia, quod omnibus singularibus sit communis. Tandèm idea ex singulari fit universalis, quia in re singulari attenditur ad essentiam, parùm curatur de unitate; & hoc sensu aliquo modo ab unitate abstrahitur, quamvis certum sit essentiam per se ipsam esse unam, & exhiberi unam. Ergo idea hæc individuum specificum repræsentat.

Dices. Sint præ oculis nummi duo aurei perfectè similes. Idea unius ex illis nummis fit ex singulari universalis per

mentis abſtractionem : atqui certè non abſtrahitur à differentiis accidentalibus, cùm nullæ ſint, nummique ſupponantur ad ſenſum ſimiles. Ergo fit univerſalis, quod ab ipsâ naturâ ſingularitas abſtrahitur.

Reſpondeo ideam illam fieri univerſalem, eo quod à loco, tempore, cæteriſque adjunctis accidentalibus abſtrahitur, non verò ab ipsâ ſingularitate. Hæc enim idea repræſentat nummum ut unum; ergo ut ſingularem. Quæ quidem reſponſio ex proximè ſuperiori lucidior fit. Quare Lockius non aliâ ratione explicat quo pacto idea ex ſingulari fit univerſalis, niſi quod ab adjunctis temporis, loci, &c. abſtrahitur.

Hinc eadem idea ſingularis ſimul eſt & univerſalis. Repræſentat enim nummum aureum ut unum ſimul, atque ut aliis ſimilem. Quatenùs exhibet nummum ut unum, ſingularis eſt : unum quippè & individuum idem ſunt : quatenùs eum repræſentat ut aliis ſimilem, univerſalis eſt. Non enim aliâ ratione idea fit ex ſingulari univerſalis, niſi quia repræſentat aliquid multis commune, id eſt in multis ſimile. Quo ſenſu dixi ejuſmodi ideâ repræſentari individuum ſpecificum. Nummus enim individuum eſt quatenùs eſt unus; ſpecies verò, quatenùs aliis ſimilis.

Obj. 3°. Natura divina est universalis. Ergo res quælibet existens aut possibilis, per se ipsam non est individua.

1°. Hæc objectio ex mysterio petita Philosophis solvenda non est, utpotè qui de solis rebus naturalibus disputent, in quibus natura quælibet totuplex est, quotuplex persona vel suppositum, atque in singulis una.

2°. N. ans. Natura enim divina est non modò una, & in se indivisa, sed ità unica, ut multiplicari nullatenùs possit. Ergo singularis est & individua : cui tamèn non repugnat, quod communicabilis sit tribus personis ; quia communicatur eis, non ut superiùs inferiori, sed ut natura personalitatibus, in quibus ipsa neque ab ipsis, neque à se ipsâ dividitur. Ità Suarez, disp. 5. sect. 1.

Obj. 4°. Existere singularium est. Ergo existentia est principium formale individuationis.

1°. Argumentum retorquet Dagoumerius. Operari singularium est. Ergo operatio est principium formale individuationis.

2°. Miror quosdam esse Philosophos qui tantam fidem vulgaribus adhibeant axiomatibus, quorum multa falsa sunt : quod de prædicto axiomate facilè ostenditur. Nulla etenim est natura, sive exis-

tens, sive reipsâ possibilis, quæ sit generalis; omnes singulares sunt ex dictis. Ergo tam posse existere quàm existere singularium est. Proindèque &c.

3°. Negó cqm. Existentia enim essentiæ nihil superaddit reale & positivum, ut probatum est, quod etiam fatentur adversarii; & ratione sui solius considerata, nihil est prætèr nomen abstractum. Ergo quælibet res per se ipsam singularis est & individua.

Obj. 5°. Possibilitas distinctionis numericæ individuorum ab affectionum oppositarum possibilitaté proficiscitur. Ergo &c.

1°. Illud intelligendum est de possibilitate affectionum oppositarum simultaneâ, non successivâ, ut patet. Idem enim individuum oppositas affectiones habere potest successivè.

2°. N. ans. Priùs enim concipitur res esse unam & unam, ità ut una non possit fieri altera; & ideò solùm intelligitur possibiles simùl esse affectiones oppositas. Ergo res antè concipiuntur individua distincta, quàm concipiatur affectionum simùl oppositarum possibilitas.

Quæres quod sit principium indicativum quo unum individuum ab altero secernitur.

Resp. esse quasdam differentias acci-

dentales; sic Alexandrum à Cicerone secernimus, quòd hunc nobis exhibemus ut Oratorum Latinorum principem; illum verò ut bellatorem magnanimum, orbis ferè universi, maximè Persarum, Dariique victorem.

Has autèm differentias versu sequente exprimunt:

Forma, figura, locus, stirps, nomen, patria, tempus.

De Subsistentiá.

Res subsistens intelligi potest per oppositionem ad accidentia rerumque affectiones, quæ rebus ità insunt, & ab illis sustentantur, ut sola & seorsìm à subjecto existere non queant. Quo sensu res subsistens est res seu natura substantialis, est substantia.

Res subsistens intelligi etiàm potest per oppositionem ad partem, quæ per totum aliquâ ratione subsistit & sustentatur; sic digitus meus quâdam ratione per corpus totum sustentatur. Res autèm hoc sensu subsistens est natura substantialis completa, suique juris, & ità suarum operationum principium, ut ipsi soli non alteri tribuantur quæcumque ab ipsâ proficiscuntur. Si natura substantialis completa sit rationis particeps, appellatur à Latinis *Persona*, à Græcis *Hypostasis*; si

verò ſit rationis expers, ut bos, appellatur *ſuppoſitum ;* dicitur enim perſona Petri, non dicitur perſona bovis aut templi, ſed ſuppoſitum. Utrumque communi nomine *ſubſiſtentia* vocatur. Quo ſenſu ut accipiatur, nunc Philoſophos inter & Theologos convenit : ſed vocem hanc olìm fuiſſe æquivocam patet ex Hieronimo ad Damaſum S. Pontificem ſcribente, ex quo quærebat an tres in Deo ſubſiſtentias, aut hypoſtaſes liceret dicere ; veritùs ne tres naturas, treſque ſubſtantias admittere videretur.

Diſcrimen eſſe ſubſtantiam inter & ſubſiſtentiam perſpicuum eſt & apertum. Nam Petri digitus, pes, caput, cæteræque partes corporis ſingulæ ſunt ſubſtantiæ. Multæ igitur in Petro ſunt ſubſtantiæ ſingulares ; unica tamèn perſona.

Cujus ex diſcriminis ignoratione graviſſimæ olìm exortæ ſunt hæreſes de myſteriis Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis Verbi divini. Scilicèt catholica fides docet in Deo unicam eſſe naturam ſubſtantialem, tres verò perſonas, ſeu hypoſtaſes ; in Chriſto autem duas eſſe naturas, divinam, & humanam ; unam verò perſonam.

Porrò in hiſce duobus fidei dogmatibus graviter lapſi ſunt antiqui hæretici, Sabelliani, Arriani, Neſtoriani, & Euty-

chiani; quibus omnibus certissima videbatur hæc propositio; natura & persona sunt unum & idem, solisque vocibus differunt. Ex quo veluti principio oppositas inferebant conclusiones.

Sic enim contrà trinitatem personarum ratiocinabantur Sabelliani.

Natura substantialis & subsistentia sunt unum & idem; atqui fides docet unicam esse naturam divinam; ergo unica est persona divina.

E contrario sic Arriani. Natura substantialis & subsistentia sunt unum & idem; atqui de fide est tres esse personas divinas; ergo tres sunt naturæ divinæ.

Sic Nestoriani contrà mysterium Incarnationis.

Natura substantialis & subsistentia sunt unum & idem; atqui fide constat duas esse in Christo naturas, humanam & divinam Verbi naturam; ergo duæ sunt in Christo personæ.

Sic denique Eutychiani ex opposito: natura substantialis & subsistentia sunt unum & idem; atqui unica est in Christo persona, quod fide notum est; ergo unica in Christo natura.

Quos errores variis in Conciliis cùm damnaverit Ecclesia, hinc non ratione modò, sed etiàm fide constat naturam

inter & subsistentiam aliquod discrimen intercedere.

Quæritur jam quid sit illud quo substantia singularis constituitur persona aut suppositum.

Docet Scotus id esse solummodò negationem unionis cum alterâ naturâ per quam perficiatur; *Suarez* autem, cum aliis multis, asserit id esse modum quemdam positivum naturæ singulari superadditum, quo natura hæc incommunicabilis alteri constituitur. Dagoumerius, cum multis post ipsum Philosophis, id appellat *substantiæ singularis totalitatem*, quæ ex eo oritur, quod alteri naturæ non communicetur tanquàm pars; sed illam totalitatem vult esse ens positivum. Quid sentiendum sit, exponent sequentes propositiones.

PROPOSITIO I.

In rebus creatis substantia singularis non constituitur persona vel suppositum per modum positivum ipsi superadditum, sed per solam negationem unionis cum alterâ naturâ, quâ perficiatur.

Pbr. In eo consistit subsistentia quo solo concepto substantia singularis concipitur persona vel suppositum, quo verò non concepto, non concipitur persona vel suppositum; atqui talis est negatio

unionis cum alterâ naturâ. Hoc ipso, namque subsistentia concipitur, quo substantia singularis est sui juris, suarum operationum principium, & completa. Atqui conceptâ solâ non unione cum alterâ naturâ, tùm substantia singularis concipitur sui juris & completa; hâc verò unionis negatione non conceptâ substantia singularis non concipitur sui juris, suarumque operationum principium. Nam si Petrus alteri naturæ non uniatur; ipsi certè non alteri tribui possunt quæ ab ipso proficiscuntur operationes. Tùnc enim ipse verè dicitur ambulare, loqui, benè vel malè agere. Si verò uniretur naturæ per quam perficeretur, ex. gr. naturæ divinæ; tùm non ipse Petrus, sed Deus diceretur ambulare, loqui. Hinc quia manus unitur alteri, & est pars Petri; non ipsa manus, sed Petrus dicitur percutere. Ergo &c.

Et verò in confesso est unam aquæ guttam à flumine separatam, hoc ipso fieri subsistentem subsistentiâ propriâ; si mille aquæ guttæ fuerint separatæ, mille statim exurgunt novæ subsistentiæ. Si verò eædem aquæ guttæ in flumen conjiciantur; novæ illæ subsistentiæ pereunt, & unica remanet fluminis subsistentia. Quæ profectò demonstrant substantiam singularem non constitui subsistentem per mo-

dum quemdam positivum ipsi superadditum, sed per solam negationem unionis cum alterâ naturâ quâ perficiatur. Quis enim cogitare poterit solâ separatione guttarum à flumine, totidèm in illis nasci modos positivos ipsis superadditos, qui unione guttarum, aut secum invicèm, aut cum flumine annihilarentur? Ergo &c.

Verbo dicam hoc ipso quod natura singularis unitur alteri tanquàm toti vel comparti, per alteram aliquâ ratione subsistit & sustentatur. Cùm verò alteri non unitur, per se ipsam subsistit. Ergo &c.

Quare substantia singularis creata per se ipsam est persona, cùm per se ipsam sit operationum suarum principium, suique juris; negatio verò unionis cum alterâ naturâ est conditio ad id requisita.

Quàm benè cum Mysterio Incarnationis congruit nostra sententia! Fide enim certum est unicam in Christo personam esse, duas verò naturas. Atqui id ex sententiâ nostrâ sponte sequitur. Natura quippe humana personæ Verbi divini unitur, quâ perficitur, & dirigitur. Verbum autem divinum per illam unionem nec perficitur, nec dirigitur. Ergo unica manet persona Verbi divini.

Sequitur etiam Deum ipsum dicendum esse passum, mortuum. Nam ex axiomate

denominationes sunt personarum & suppositorum. Atqui persona naturæ humanæ in Christo est persona divina Verbi. Ergo &c.

3°. Sequitur Virginem Mariam dicendam esse Dei-param. Etenim mater est & dicitur personæ, non solius naturæ mater. Atqui persona naturæ humanæ in Christo est persona divina. Ergo &c.

Hinc 4°. nulli substantiæ creatæ essentialis est propria personalitas. Quælibet enim substantia creata potest uniri alteri naturæ per quam perficiatur.

Hinc 5°. quamvis natura humana in Christo propriâ careat personalitate, nullâ tamèn caret perfectione, nulloque positivo ad hominis naturam requisito. Personalitas enim propria solam negationem unionis cum alterâ naturâ substantiæ singulari superaddit; si tamèn negatio superaddita dici possit.

Obj. 1°. duplex est in Christo natura, ..mpè humana, & divina: atqui unica ..et natura, si humanitas per unionem cum Verbo divino propriâ careret personalitate: nam ex eo quod corpus nostrum animo uniatur, unica exurgit natura, quæ est humanitas. Ergo similitèr ex unione humanitatis cum Verbo divino deberet unica in Christo natura conflari.

N. min. ad cujus probationem transeat ans. neg. cqm. Ratio discriminis est

quod per unionem corporis nostri cum animo, utraque substantia, corpus & animus, mutuò perficiantur, & à sese invicèm pendeant. At per unionem humanitatis cum Verbo divino, Verbum divinum non perficitur, nec dirigitur. Ergo discrimen maximum.

Insupèr nego ans. Ex unione corporis cum animo nostro non effloreścit quædam natura quæ sit à corpore & animo distincta. Hæc enim esset partìm spiritalis, partìm materialis, quam nonnisi somniando excogitare potuerunt veteres quidam Philosophi.

Dices 2°. cum *Suarez*. Substantia singularis cum solâ negatione unionis ad aliud suppositum, non esset persona, neque subsistens propriè. Nam ut sit persona, requiritur ut illi repugnet esse in alio supposito, eique uniri secundùm se totam: atque id repugnare non potest, nisi per modum positivum naturæ singulari superadditum. Ergo personalitas non constituitur per solam negationem unionis cum alterâ naturâ, sed per modum positivum.

N. maj. Quædam enim substantia singularis creata est persona; atqui nulla esset persona, si ad hoc requireretur ut repugnaret eam uniri cum altero supposito, vel cum alterâ naturâ per quam perfi-

ceretur. Quælibet enim substantia creata, idonea est ad talem unionem. Imò nullatenùs concipitur per modum quemdam positivum ipsi superadditum fieri posse, ut repugnet ejusmodi unio. Ergo &c.

PROPOSITIO II.

Personalitates divinæ sunt positivæ quædam perfectiones naturæ Dei superadditæ.

Probatur. Idem sit judicium de aliis personis divinis ac de personâ Filii. Atqui personalitas Filii est ratione sui aliquid positivum; etenim facta est unio naturæ humanæ non præcisè in naturâ Verbi divini; alioquin tres personæ fuissent incarnatæ, sed in personalitate Filii, & propterea solus Filius incarnatus est. Atqui unio naturæ humanæ fieri non potest in merâ negatione, sed in aliquo positivo. Ergo &c.

Et verò secunda Trinitatis persona à Patre divino generatur: atqui generari non posset, nisi personalitas Verbi quæ sola ipsius est propria, sit aliquid in se positivum. Ergo &c.

Quid autem in se sint hæc positiva quibus personalitates divinæ constituuntur, omninò ignoratur. Ideircò contemnendi sunt, qui divina humanis metientes adorandum Trinitatis mysterium admittere recusant, idque repugnare affe-

runt. Cùm enim penitùs lateat, quid sit illud quo divina personalitas constituitur; idque omninò diversum sit à personalitate humanâ; quæcumque possunt proponi difficultates, eas ex principiis falsis & ignotis deduci necesse est.

Obj. Admittenda est subsistentia quæ sit genus variarum specierum personalitatis, scilicèt humanæ & divinæ. Atqui in nostrâ sententiâ admitti non potest: nam illud genus subsistentiæ, vel esset aliquid positivum, vel aliquid negativum. Atqui in nostrâ sententiâ neutrum dici posset. Nam ex axiomate quidquid convenit generi, convenit & speciebus, cùm species genus & differentiam complectantur. Atqui si res ità sit, genus subsistentiæ non potest esse aliquid positivum, nec aliquid negativum. Nam si sit aliquid positivum: ergo personalitas, in rebus creatis erit aliquid positivum; quod negavimus. Si sit aliquid negativum: ergo personalitates divinæ per aliquid negativum constituentur; quod propositioni adversatur. Ergo personalitatis genus non potest esse aliquid positivum, nec aliquid negativum. Quod absurdum est; cùm inter positivum & negativum nihil sit medium.

N. maj. Jàm enìm probatum est genera non esse quædam attributa in spe-

ciebus similia, ab attributis differentialibus ità distincta, ut ipsis differentiæ superadderentur; imò genera multa aliud nihil esse nisi fictiones mentis abstractis nominibus expressas. Quæ doctrina nedùm præsente objectione evertatur, potiùs confirmatur. Ergo &c.

2°. Eo sensu non est intelligenda prima propositio, ut personalitas in rebus creatis sit mera negatio; dicere namque propositum est negationem unionis cum alterâ naturâ esse conditionem requisitam, quâ positâ substantia singularis per se ipsam, non verò per aliquid positivum ipsi superadditum, persona est aut suppositum.

3°. In eorum sententiâ qui res omnes quælibet etiam rerum attributa volunt ex genere & differentiâ conflari, diceretur personalitatem generatìm sumptam à positivo simùl & negativo abstrahere. Nam personalitas ut genus spectata est id per quod natura singularis constituitur sui juris, suarumque operationum principium, seu est completa. Atqui, inquiunt, id à positivo simùl & negativo abstrahit. In creaturis enim substantia singularis est completa per solam negationem unionis cum alterâ naturâ, quâ perficeretur. In Deo autèm natura non est suarum operationum principium & completa, nisi per

aliquas perfectiones positivas, quibus exigit non uniri cum aliis naturis, quibus perficiatur. Ergo &c.

De accidente.

Generali appellatione accidentis id omne significatur, quod rei advenit & accidit. Quare & relatio & modus hoc sensu dicuntur accidentia. Primùm de relatione, deincèps de modo dicturi sumus.

De relationibus.

Res jàm cognitas potest animus inter se conferre : cum rem unam velutì ad alteram ducit, eamque juxtà alteram ita collocat, ut ab unâ in alteram inspiciat, inquit Lockius l. 2. c. 25. id appellatur relatio, vel aliis vocibus apud philosophos synonimis, respectus, habitudo, ordo unius ad alterum. Denominationes quibus hæ relationes exprimuntur, vocantur termini relativi, quales sunt similis, diversus, major, minor &c. Res verò quæ inter se comparantur, relata, aut correlata nominantur. Ex duobus autem relatis, illud per quod incipit relatio, & quod ipsum refertur ad alterum, appellatur subjectum relationis; res ad quam altera refertur, terminus relationis; id verò in quo res illæ comparantur, & proptèr quod una ad alteram refertur, fundamentum relationis. Ex. gr. sint du•

globi alter aureus, alter eburneus. Si globus aureus comparetur cum uberneo secundùm figuram, globus aureus per quem ità incipit relatio, ut ipse ad eburneum referatur, est subjectum relationis; globus eburneus, est terminus relationis; figura verò rotunda fundamentum relationis. Cùm autèm in utroque figura sit sphærica, ideò dicuntur figurâ similes, & materiâ aut corpore diversi.

Quæritur 1°. utrum similitudo & dissimilitudo ipsa, vel, ut aiunt, similitudo formalis in rebus ipsis existat. Quæ quidèm quæstio litem de nomine vehementèr olet. Si enim similitudo ipsa seu formalis dicatur in eo posita quod res duæ possint per eamdem ideam solâ additione numeri repræsentari; res sunt in seipsis & independentèr à cogitatione formalitèr similes. Si verò similitudinis formalis nomine intelligatur comparatio inter duo instituta; hæc profectò est mentis cogitatio; quæ in mente solâ, non in rebus collatis existere potest.

Ut ut sit: res in se ipsis dicentur similes aut diversæ, quoniàm ita voluit usus. Certum tamèn est rem unam in se & solitariè consideratam cognosci quidèm rotundam, albam, variisque attributis aut affectionibus donatam; nunquàm verò intelligi alterius similem, aut dissimilem, nisi intèr

eas fiat comparatio. Ideòque Lockius sentire videtur, ut patet ex jam dictis, relationem formalem esse actum mentis. Idea relationis, inquit Sgravesendius l. 2. c. 26. de erroribus ex idearum confusione ortis disputans, nobis nihil extrà mentem repræsentat; efficitur illa comparatione duarum aliarum idearum. Error ergo datur, quotiès talis idea consideratur, quasi aliquid reverà existens exhiberet; aut quotiès relatio ipsa refertur ad ideas, quæ non fuerunt collatæ. Quod ultimum ad generalem observationem de judiciis referri potest. Vulgares admodùm hi errores sunt. Atque hæc Sgravesendius. Idem docet l. 2. c. 5. de ideis relativis.

Verbo dicam. Res una non sese ad aliam refert; sed potest à mente nostrâ ad alteram referri, si eas secum invicèm comparet. Quocircà relatio ipsa seu relatio formalis videtur actus mentis unum cum alio comparantis: quod ex ipsâ loquendi ratione deduci potest. Potiùs enim dicitur, est similitudo inter parietes albos, quàm est in illis similitudo. Qui sermo sensum nullum præ se ferret, nisi similitudinis nomine intelligatur comparatio inter parietes à mente instituta; seu verò similitudo esset aliquid inter parietes remotissimos existens, non verò in illis. His prænotatis sit.

PROPOSITIO.

Relatio non est modus positivus rebus relativis superadditus etiam cogitatione solâ ab ipsis distinctus.

Pbr. idem de aliis relationibus judicium esto, ac de similitudine quæ inesse dicitur in duabus circumferentiis quarum utraque diametrum pedalem haberet. Atqui hæc similitudo non est modus positivus utrique circumferentiæ superadditus. Nam hæc similitudo in eo consistit quod duæ circumferentiæ prædictæ possint per eamdem ideam repræsentari solâ additione numeri; atqui per se ipsas id habent ut sic possint repræsentari; quemadmodum duo parietes albi per ipsam albedinem sunt similes, non verò per aliquid albedini succrescens. Certè si quis ad vocum & sermonis vim attendat; ideo duæ circumferentiæ dicuntur similes quia utraque diametrum pedalem habet; ideò prædicti parietes dicuntur similes, quia uterque est albus. Ergo per se sunt similes, proinde similitudo non est modus positivus rebus relativis superadditus.

2°. Non potest modus positivus rei advenire & in illâ existere, quin hâc in re aliquid producatur, & agatur. Atqui tamèn nummus aureus Parisiis existens innumeros acquireret modos positivos,

quin ulla causa efficiens in illum ageret, eumque nedùm tangeret, imò ne de ipso quidèm cogitaret. Qui enim aliis in urbibus nummos aureos effingerent, profectò in nummum Parisiis existentem nullatenùs agerent; hoc ipso tamèn in nummo Parisino innumeri efficerentur modi positivi, totidèmque quot essent novi nummi quibuscum relationem novam similitudinis haberet. Ergo &c. Verbo dicam; quis cogitare potest esse in rebus quiddam positivum ipsis succrescens, quod sit similitudo, dissimilitudo, æqualitas, inæqualitas, ratio partis &c. Ergo &c.

Dices. illud est ens positivum, modusque realis ipsis rebus relativis superadditus, quod cum anteà non inesset, incipit inesse. Atqui similitudo, ex. gr. quæ anteà in pariete albo non inerat, incipit inesse per extructionem alterius parietis albi. Ergo &c.

Dg. quod incipit inesse propter aliquid rei intrinsecum C. maj. propter aliquid extrà rem positum. N. maj. Paries albus jam existens acquirit relationem similitudinis anteà non habitam, cum recens extruitur paries albus. Idque propter aliquid extrà ipsum positum evenit; nihil autem priori parieti intrinsecum mutatur aut additur; sed per illud ipsum quod anteà habebat, fit similis.

Nam est similis, quia est albus. Atqui antè novi parietis extructionem erat albus, nihilque albedini intrinsecum advenit aut mutatur. Ergo &c.

Dices 2°. cum Dagoumerio. Similitudo est intrinseca circulo *A* versùs circulum *B*. Ergo non est mera denominatio quædam extrinseca.

Dg. ans. Sed non est aliquid circulo *A* superadditum, & ab ipso etiam cogitatione distinctum. Transeat ans. secùs n. ans. & cqm. De vocibus certandum non est. Dicatur, per me licet, circulus *A* in se similis circulo *B*, eâque de causâ similitudo ipsi intrinseca concedatur. Verùm circulus *A* per se ipsum, per ipsam rotunditatem circulo *B* similis est. Nam ideò dicitur similis, quia potest per eamdem ideam repræsentari solâ additione numeri. Atqui à se ipso & à suâ rotunditate habet circulus *A*, quod possit per eamdem ideam ac circulus *B* repræsentari, ut patet. Ergo &c. Quare Lockius & Sgravescendius volunt illas denominationes ex mentis comparatione quam exprimunt, originem ducere; eoque sensu dicendæ videntur extrinsecæ.

Dixi transeat ans. Nam circulus *A* similis dicitur circulo *B*, quia uterque est rotundus, & proindè per ipsam rotunditatem, non verò per aliquid intrinsecum

ipsi superadditum, quod sit similitudo. Non secùs ac pes dicitur pedi æqualis, per seipsum, & quia est pes, non verò per quamdam æqualitatem pedi superadditam, id per se videtur evidens.

2°. Circulus *A* incipit, aut desinit esse similis circulo *B* per novam existentiam aut destructionem circuli *B*. Ergo per aliquid omninò extrinsecum & extrà positum; non verò per mutationem alicujus positivi intrinseci. Proindè similitudo ipsa non debet dici aliquid intrinsecum.

3°. Si circulus *A* solus & in se ipse consideretur, nullatenùs concipitur similitudinem habere. Si verò conferatur cum circulo *B*, incipit dici similis; quod argumento est similitudinem esse denominationem, quæ institutam à mente comparationem exprimit.

Dices 3°. cum eodem: relatio concipitur: ergo intelligibilis est; ergo vera est; ergo est ens, modusque positivus.

Respondet Sgravescendius L. 2. c. 5. Ideas vocamus relativas quæ nobis comparationem duarum idearum exhibent, reliquæ absolutæ vocantur. Ideæ relativæ nobis nihil extrà mentem repræsentant; ideò cavendum ne quæramus rem existentem aut possibilem quæ pro prototypo talis ideæ habeatur.

2°. Distingo ans. Relatio concipitur, sed

ſed non ut aliquid rei relativæ ſuperadditum C. ans. ut aliquid ſuperadditum. N. ans. reſponſio ex dictis claret.

Conſectarium.

Ex dictis concludere licet ſimilitudinem, diſſimilitudinem, æqualitatem, rationem partis, meras eſſe denominationes, nominaque abſtracta quibus nullum reſpondet objectum reale à rebus relativis diſtinctum, ipſiſque etiàm per cogitationem ſuperadditum; quibus etiàm ſola à mente facta comparatio ſignificari videtur.

Aliæ ſunt relationes reales & à noſtrâ cogitatione independentes, quales ſunt relationes majoris aut minoris diſtantiæ inter varia corpora, aut inter partes ejuſdem corporis. In illis autèm relationibus conſiſtunt corporum figuræ; quæ licèt reipsà inter ſe diverſæ ſint; tamèn dici non poſſunt aliquid poſitivum ſive corporibus ſive corporum partibus ſuperadditum, ut patebit ex illis quæ dicemus, ubi de diſtinctione diſputabimus.

Quotuplex relatio.

Relatio alia dicitur eſſentialis, alia accidentalis ſeu categorica. Relatio eſſentialis ea eſt, cujus ſubjectum exiſtere non poteſt, quin ſit aliquod relationis fundamentum; ſic relatio creaturæ ad

creatorem essentialis est ; quia creatura existere non potest nisi per creationem,quæ est relationis hujus fundamentum.

Relatio accidentalis illa est, cujus fundamentum est accidentale subjecto : Sic relatio similitudinis in pariete propter albedinem. Potest enim paries non esse albus. 2°. Relatio alia petitur ab actione extrinsecâ, ut visus, amatus, &c. alia desumitur ab actione intrinsecâ,ut generans, creans, producens &c.

De multis relationibus in posterum dicturi sumus. Alias divisiones prætermittimus,cum iis quæstionibus an dentur in deo relationes accidentales ; an relatio terminetur ad absolutum, quas otiosis relinquimus.

Qualis sit relatio.

Præcipua relationum proprietas hoc continetur axiomate. Correlata sunt simùl naturâ & cognitione. Quod significat ex iis quæ terminis relativis exprimuntur, unum non posse existere, aut intelligi, quìn simùl alterum existat, aut intelligatur : sic pater & filius, creator & creatura, maritus & uxor &c.

De abstractionibus.

Jàm sæpè monuimus varia esse abstractionum mentis genera, ideòque diversi generis nomina abstracta, de quibus sin-

gulatìm dicere, non operæ pretium modò videtur, ſed etiàm omninò neceſſarium. Hæc enim ſi negligantur, errorum fontes ſunt uberrimi.

Nomina propria qualia ſunt terra, ſol, luna, Petrus, &c. objecta realia & reipſa exiſtentia, aut verè poſſibilia ſignificant. Cum autèm fieri non poſſit, ut rerum individuis nomina tribuantur ſingulis ſpecialia, in certas claſſes diſtribuimus individua ſimilia; eaque omittendo quæ ſunt in illis differentiæ accidentales, ideam efformamus quæ repræſentat eſſentiam in ſingulis ſimilem; quam nomine quodam communi exprimimus. Talis eſt idea, nomenque hominis. Huic autem ideæ, nominique reſpondet individuum ſpecificum, illudque objectum eo ſenſu reale eſt, quod reipsà exiſtant, quæ per hanc ideam repræſentantur, & & per nomen *homo* ſignificantur; ſed non eſt reale eo ſenſu, quod ea exiſtant ſola, & ſine aliis. Nullus quippè exiſtit homo, in quo non ſint differentiæ quædam accidentales.

Ex iis arbitrari ſoliti ſumus quibuſlibet nominibus ſignificari objecta realia, non ſecùs ac nominibus propriis.

Ut tamèn ea prætermittam nomina, quibus cauſas quorumdam effectuum ignotas ſignificaverunt philoſophi, ut earum

rudes & ignari non viderentur, qualia sunt, horror naturæ à vacuo, animæ vegetantes, formæ substantiales; ea etiàm quæ sententias absurdas exprimunt: innumeraque alia singulis sectis probata, ut quædam obscura designarentur, aut cognita non satis declararentur; quæquidèm omnia verba sunt & voces, prætereàque nihil.

1°. Nomina abstracta ex rebus substantialibus desumpta, qualia sunt humanitas, lapideitas, aureitas, &c. objectum habent reale; quatenùs essentias quasdam sive cognitas sive ignotas, sed existentes significant. Quatenùs verò indicant eas essentias in quodam substrato ab ipsis distincto velut formas recipi; mentis fictiones significant. Etenim non modò ignoratur omninò quid sint ejusmodi substrata; sed quisquis seipsùm interrogabit, sibi conscius erit, nullam haberi ideam quæ essentias illas velut formas in substrato quodam receptas, & ab ipso distinctas exhibeat. Idem à fortiori dicendum de nominibus abstractis, quæ ex generibus efformantur, ut metalleitas. Quotiès autem dico quasdam abstractiones esse mentis fictiones, monitum volo lectorem fictionis nomine à me intelligi factas à mente suppositiones, non verò ideas falsas.

2°. Jam diximus ens & substantiam

meras esse denominationes communes. Quod autem ad cætera rerum genera attinet ; si per illa significentur qualitates quædam , functiones , aut effectus variis rerum classibus communes , sive perfectè sive imperfecte similes ; hoc sensu habent objectum reale : hæc enim in rebus deprehenduntur. Si verò significentur substrata quædam , aut principia similia , aut naturæ quædam in variis speciebus similes , & à differentiis ita distictæ , ut ipsis differentiæ superaddantur ; meræ sunt mentis fictiones : quod patet tum ex jam dictis ; tum quià non magis genera in rebus naturalibus ejusmodi naturas similes reales significant quam in artefactis. Atqui certè genera in artefactis naturas ejusmodi reales & similes non significant. Cum enim variæ sint horologiorum species , quorum alia sunt solaria , alia aquea , alia ex variis rotis , & tympanis composita , hæcque à se invicèm valdé diversa ; quis cogitaverit horologium ut genus esse naturam quamdam realem in variis horologiis similem , cui differentiæ ab ipsâ distinctæ superaddantur. Nemo enim est qui non videat hanc vocem genericam *horologium* inventam fuisse ut significarentur ea , quæ horas indicant sive per aliquid simile , sive per aliquid diversum.

Hinc perspicuum est & apertum plera-

que genera ex functionibus aut effectibus quibusdam similibus excogitata fuisse; ex quibus non licet naturas aut virtutes similes concludere magìs, quàm ex variis effectibus radii solaris qui ceram liquefacit, lutumque indurat, argui possunt diversæ in radio solari virtutes.

3°. Nomina quædam abstracta relationes exprimunt, quales sunt similitudo, diversitas, æqualitas, &c. Hæc autèm institutam à mente comparationem significant, ut jam probatum est. Quis enim dixerit æqualitatem quæ inter duos extensionis pedes intercedit, esse reale quiddam & positivum pedibus superadditum, ipsisque intrinsecum.

4°. Esse contiguum alteri corpori, esse propinquum, esse remotum, hæc significant inter duo corpora, aut nullum, aut parvum, aut magnum corpus interponi posse. Quis enim tantispèr rebus ut sunt attentus putaverit contiguitatem, propinquitatem, viciniam, &c. esse in se & ratione sui solius ens aliquod positivum corporibus contiguis aut propinquis succrescens. Idem dicendum de aliis relationibus entium contingentium. Quare abstractis relationum nominibus nullum assignari potest objectum reale.

5°. Multa sunt nomina abstracta ad designandos status negativos inventa; qua-

les ſunt cœcitas, imbecillitas, mors. Quæ quidem, quamvis ſæpè ut perſonæ inducantur, iiſque actiones quædam aut effectus tribuantur; in ſe ipſis ſunt negationes, ſunt nihila; non verò objecta realia, ut ſatis patet.

6°. Multæ rerum proprietates, ſtatus, attributa, modi aliud nihil ſunt, ſi benè expendantur, niſi relationes, & ſæpè negationes, ut in poſterùm probabitur. Quamvìs igitùr eorum nomina abſtracta aliquid reale ſonent & poſitivum; his non eſt fides adhibenda.

Tandèm cùm rem aliquam ſub quâdam ratione, ſive communi, ſive ſpeciali conſideramus; hanc ſæpè rationem nomine abſtracto deſignamus, ut expendatur quid illa ſit; & etiamſi poſt maturum examen clarè cognoſcamus eam non eſſe in ſe & ratione ſui ſolius aliquid reale diſtinctum à cæteris ad rem eamdem pertinentibus, hæc tamèn nomina abſtracta retinemus, quibus alii objecta realia tribuere non dubitant: talem eſſe rerum exiſtentiam diximus.

Cavendum igitùr nè putemus quibuſlibet abſtractis nominibus objecta in ſe & ratione ſui ſolius realia ſignificari. Nedùm enim res ità ſe habeat, ſæpè aliud nihil ſignificant niſi mentis fictiones.

De Accidente.

Accidens strictè sumptum vulgò definitur ens in alio existens, seu quod in alio recipitur tanquàm in subjecto cui inhæret.

Ens dicitur genus, *in alio existens* differentia, quæ nominibus abstractis appellantur *entitas*, & *inalietas*. Ex iis autèm quæ dicta sunt, ubi de ente & substantiâ disputatum est, claret hæc duo meras esse denominationes abstractas, non verò realia quædam & positiva in omnibus modorum speciebus similia, & ab attributis differentialibus ità distincta, ut ipsis differentiæ superaddantur. Varii enim modi animorum nostrorum sunt entia, sunt & in alio existentia per illud ipsum positivum licet in variis diversum per quod tales constituuntur.

Accidens apud multos Theologos duplex est, aliud absolutum, aliud modale. Accidens absolutum existere potest sine proprio subjecto; sic, inquiunt, in Eucharistiæ Sacramento, post factam consecrationem extensio panis superstes manet substantiæ panis quæ tota periit.

Accidens modale illud est quod sine subjecto proprio existere non potest, & appellatur *existendi modus*.

Modus autèm duplex, alter necessa-

rius, alter contingens. Modus necessarius ille est sine quo subjectum, vel natura substantialis cujus est modus, existere non potest. Hoc sensu cognitio infinitè perfecta dicitur modus naturæ divinæ; quia Deus non potest sine tali cognitione existere.

Modus contingens ille est, qui potest esse vel non esse, vel, ut alii loquuntur, qui potest adesse vel abesse à subjecto sine subjecti interitu: sic dolor in animo meo existere potest vel non existere, quin animus esse desinat.

Modus, modificatio, affectio, forma, formalitas, voces sunt apud Metaphysicos synonimæ; quibus sempèr significatur ens alteri inhærens, & rei substantiali opponitur; accidentale verò significat non necessarium, seu contingens.

De identitatis relatione.

Rem quamlibet possumus cum se ipsâ comparare, vel cum aliis. Res cum se ipsâ comparata dicitur & est eadem, si nulla facta fuerit in eâ mutatio. Quapropter identitas hæc quamdam in suo conceptu perseverantiam includit, sed ratione essentiæ, dotum, qualitatum; & in hoc à duratione discrepat, quæ existentiæ magìs quàm dotum aut qualitatum perseverantiam dicit.

Hinc relationem ad tempus necessariò non postulat rei identitas; nec etiàm relationem ad locum: vel enim relationem ad diversum locum includeret, vel ad eumdem; non ad diversum locum, ut patet. Nec enim, ut res sit eadem, requiritur ut in diversis successivè locis reperiatur. Non ad eumdem locum; ipse enim locus est idem; nec sanè propter alterius loci identitatem. 2°. Sæpè neque ad locum eumdem, nec diversum attendimus, cùm rem eamdem concipimus. Et verò animum humanum eumdem concipiunt Carthesiani, quamvis negent animos esse in loco. Tandèm animorum modi, ut dolor, judicium, &c. iidem sæpè cogitantur & sunt; nec tamèn in loco existere intelliguntur.

Ex jam dictis patet, accurata non esse quæ de identitate universìm sumptâ scripsit Lockius; hanc enim per relationem ad tempus & locum explicat.

Sed absurdum videtur, quod docet idem Author cum Sgravescendio, ad identitatem nempè requiri idem existentiæ initium. Ex quo sequitur rem quamdam à Deo destructam, non posse eamdem iterùm creari. Hæc enim sententia omnium hominum ideis adversatur. Quæro enim an individuum aliquod per suam destructionem factum fuerit in se repug-

nans & impossibile? Quæro iterùm nùm antè primam creationem eadem res substantialis sit reipsà possibilis? Quæ quidèm, ut opinor, nemo sanæ mentìs negaverit. Ex quibus apertè sequitur ad identitatem necessarium non esse idem existentiæ initium. Itaquè res eadem est, cum nullam ratione substantiæ, dotum, aut qualitatum, & modorum mutationem passa est.

Si verò facta fuerit quædam in re mutatio, tùm res eadem non est, sed diversa. Hæc autem mutatio, vel in ipsam rei substantiam cadit, vel in dotes, modos, qualitates. Si primum: res eadem non est ratione substantiæ; ut cum corpori alia adduntur & permiscentur corpöra, vel partes quædam detrahuntur. Si secundum: res tùm dicitur, & est eadem ratione substantiæ, non verò ratione dotum & qualitatum. Imò solâ dotum aut qualitatum mutatione, res vulgò dicitur simplicitèr non eadem. Sic cùm homo fit ex probo improbus, ex ignaro doctus, ex urbano inurbanus, dicitur simplicitèr non idem. Similitèr cùm cera ex rotundâ fit quadrata, ex flavâ fit alba, dicitur non eadem.

Identitas vel est rei, vel significationis. Identitas rei ea est quæ jam fuit definita. Identitas verò significationis est,

cùm voces synonimæ, aut definitum & definitio comparantur. Sic dicimus ensem & gladium, circulum & figuram rotundam idem esse, id est, idem significant.

Iterùm identitas vel est physica, vel moralis. Identitas est physica, cùm nulla reipsà facta est mutatio saltèm substantialis: identitas moralis, cùm mutatio est insensibilis; quia secundùm communem hominum æstimationem, res eadem est, quam sensus eamdem referunt; sic corpus animalis idem dicitur, quamvis exhalatione tanta contigerit mutatio, ut fortassìs nullæ corporis nascentis partes supersint.

Constat 1°. corpus animalis idem esse identitate morali. Ejus identitatem, inquit Sgravescendius, quidam repetunt ex stamine quodam adeò formato, quòd interpositis partibus fuit expansum, hasque tantùm asserunt mutari partes interpositas, ipsius verò staminis partes nunquàm tolli, aut harum ordinem turbari, quamdiù corpus idem manet. Quæ sententia multis idonea videtur ad explicandum resurrectionis hominum in proprio singulorum corpore mysterium: quamvis patrum majorumque plurimæ partes factæ sint, fiantque præda nepotum quotidiana.

Sed, pergit Sgravescendius, ad hoc stamen non attendimus. Idem dicimus corpus, quamdiù ordo partium sensibilium non interrumpitur.

2°. Certum est animum quamdiù existit, eumdem esse identitate substantiali. Nam cùm sit substantia simplex & immaterialis partium additione nullâ aut detractione mutari potest.

Et verò cogitationes præteritas cum præsentibus confert animus. Id autèm præstare non posset, nisi esset idem identitate substantiali. Si enim non esset idem, non magìs posset inter cogitationes præteritas & præsentes institui comparatio, quàm si animus Petri sensationem soni habere supponeretur, & animus Pauli sensationem solius coloris posset Paulus in hâc suppositione utramque sensationem comparare. Ergo &c.

Quæritur in quo posita sit personæ identitas.

Cui quidèm quæstioni locum dedit absurda Sgravescendii opinio, quam exponit c. 7. de identitate, his verbis.

Datur recordatio talis præteritarum perceptionum, ut cum conscientiâ præsentis existentiæ conjungatur memoria existentiæ præteritæ. Hæc memoria, inquit Author, propriè constituit identitatem personæ: positâ illâ, persona eadem

est; si tollatur memoria, mutatur persona, quamvis de eâdem substantiâ agatur. Morbo aut casu quocumque Sempronius præteritorum memoriam amisit; . . . . substantia mutata non fuit, sed persona.

Eamdem fermè sententiam amplectitur Lockius, lib. 2. c. 27. de identitate & diversitate, vultque personam consistere in conscientiâ seu sensu intimo suarum cogitationum, actionum, existentiæ. Conscientiâ actionum, inquit Lockius, & cogitationum præsentium in hoc momento idem mihi ipse sum, eâdemque ratione ero idem *ego*, quamdiù hæc conscientia ad actiones præteritas vel futuras poterit proferri.

Quare 1°. in eorum sententiâ qui animorum transmigrationem admittunt; si animus meus mille corporibus diversis fuisset ità unitus, ut quotiès ab uno corpore in aliud migravit, præteritarum in præcedente corpore actionum & cogitationum nullam recordationem servaret, conscientiam nullam; mille in uno eodemque animo singulari personæ sibi succederent; si è contrà mille distincti animi sibi successissent, ultimusque præsenti corpori unitus præteritarum in superioribus mille corporibus cogitationum haberet conscientiam, quâ eas ut suas agnosceret, easdemque sibi tribueret; una

eademque esset in mille prædictis animis persona.

2°. Si animus Mallebranchii cogitationum & actionum Platonis conscientiam haberet quâ eas agnosceret suas; tùm in Mallebranchio esset persona Platonis, aut vice versâ.

3°. Si præteritarum cogitationum nulla supersit recordatio, conscientia nulla: tùm persona est diversa non eadem.

Itaque in sententiâ Lockii, identitas personæ posita est in identitate conscientiæ, quâ animus præteritas cogitationes ut suas agnoscit, sive idem perseveret animus, sive distinctus sit, aut diversus. Diversitas verò personæ in diversitate conscientiæ, etiamsi idem sit animus. Ex quibus, inquit Lockius, facilè intelligitur, quid in resurrectione eamdem personam constituet, sive idem sit corpus, sive ex aliis partibus concretum, diversaque donatum figurâ; dummodò in animo quo corpus illud animabitur, reperiatur eadem præteritarum actionum & cogitationum conscientia. Contrà cum cæteris omnibus Philosophis sit.

PROPOSITIO.

Animus singularis non constituitur eadem persona per recordationem, aut identitatem conscientiæ, quâ actiones & cogi-

tationes præteritas ut suas agnoscit.

Probatur 1°. persona, ut diximus, est animus singularis ultimo completus, ad quod complementum sufficit ut non uniatur alteri naturæ per quam perficiatur. Ergo si idem sit substantialitèr animus singularis ultimo completus, eadem erit persona; sive præteritorum recordetur, sive non. Quare priùs concipitur eamdem esse personam, quam illam præteritarum suarum actionum esse memorem.

2°. Ex Lockio inter somnum & etiàm ebrietatem sæpè contingit, ut animus cogitatione omni, & proindè sensu intimo sit destitutus. Ergo tùm nulla esset persona: quod absurdum est.

3°. Si quis morbo quodam gravissimo præteritarum actionum omninò obliviseeretur, hoc ipso non esset eadem persona, sed diversa, etiamsi idem remaneret animus singularis. Proindèque nova hæc persona cujus non essent actiones præteritæ, quas ut suas non agnosceret, nullam pro benè aut malè factis mercedem aut præmium meretur. Imò perseverante eâdem oblivione, non posset Deus pro factis præteritis punire aut remunerari, certè non personam superstitem, ad quam non pertinerent facta præterita; non etiàm personam præteritam & priorem, quæ cùm sine animo superstite ni-

hil ſit, aut ſanè nulla ſit natura ſubſtantialis; præmio nullo vel ſupplicio, dolore nullo vel gaudio affici poteſt. Omni igitur operâ exiſtendum eſſet, ut præterita crimina darentur oblivioni; quo pacto debita illis ſupplicia declinarentur. Quæ quidèm ità abſurda ſunt, ut nihil magìs.

4o. Quis riſum tenere poteſt, cùm audit Socratem dormientem & vigilantem non eſſe eamdem perſonam, ſi ejuſdem conſcientiæ non ſi particeps? Nemo enìm hactenùs fuit aut eſt qui non intelligat & dicat eamdem eſſe perſonam, ſed quæ præteritorum non recordatur.

5°. Adeſt conſcientiæ identitas, ex Lockio, ſi quis actiones aut cogitationes præteritas eſſe ſuas agnoſcat reminiſcendo; etiamſi animus ab ipſo diſtinctus eas in ſe admiſerit. Non intelligitur autèm animum poſſe alterius animi cogitationes atque actiones ut ſuas agnoſcere, niſi quià id intimè perſuaſum habet. Ergo ſi quis in hoc dementiæ genus incidat, ut ſibi intimè perſuadeat actiones Alexandri, Ciceronis, &c. eſſe ſuas; hoc ipſo erit ipſe perſona Alexandri, Ciceronis, &c. Quod ſi quis concederet, eâdem de causâ fatendum eſſet eum qui orbis univerſi creationem ſibi atque adminiſtrationem ſeriò tribuebat animo, ſeque pa-

trem æternum exiſtimabat ; eum, inquam, fuiſſe ipſam Patris æterni perſonam, quæ non ridicula modò, ſed dictu horrenda.

Et verò is hominum omnium judicio mente captus haberetur, qui ſeriò animo Ciceronem ſe vel Platonem, vel etiàm Chriſtum Dominum arbitraretur. Atqui judicium illud generis humani falſum eſſet, & injuſtum, ſi valeat Lockii ſententia. Nam judice Lockio qui ſibi perſuaſum habet ſe Neſtorem eſſe, is reverà Neſtor eſt. Imò ſi Carthеſius ſomnians Socratem ſe putaret, tunc temporis eſſet Socrates; ſomnoque ſolutus, iterùm fieret Carthеſius, ſi Carthеſii cogitationes ſuas eſſe agnoſceret. Quaproptèr Carthеſius excitatus ineptè diceret, eſſe me Socratem hâc nocte ſomniavi. Non enìm intèr ſomnium Carthеſius erat, ſed Socrates.

Cætera prætermitto Lockii ſomnia; in cujus opinione ipſa inſania ſapientia eſſet, & veritatis argumentum.

Dices cum Lockio : conſcientiâ cogitationum præſentium idem mihi ipſe ſum; eâdem ratione ero idem *ego*, quamdiù hæc conſcientia ad cogitationes præteritas vel futuras poterit proferri. Ergo identitas conſcientiæ identitatem perſonæ conſtituit.

1°. Distingo antecedens. Id est conscientiâ certus sum eumdem me esse vel fuisse, conc. ans. Conscientia ipsa eumdem me constituit, n. ans. & cqm. Signum identitatis & argumentum cum ipsâ identitate apertè confundit Lockius. Dùm cogitationes præteritas cum præsentibus comparo, earumque conscientiam certam habeo, hoc ipso certus sum eumdem me nunc esse, qui quondàm extiti. Verùm hæc conscientia eumdem me supponit, non constituit. Nec enìm minùs idem ego sum, cùm prædictam comparationem non instituo, sive eam instituere possim, sive præteritorum omnium oblitus, non possim. Quæ quidèm apud omnes confessa sunt.

2°. Identitas conscientiæ probat eumdem esse animum qui cogitationes præteritas agnoscit reminiscendo. Animus enim est, resque substantialis quæ præteritorum conscientiam habet, non verò persona ab animo abstracta; quæ sic considerata, cum res substantialis non sit, conscientiam nullam habere potest. Ergo si identitas conscientiæ personam constituat eamdem; in animis distinctis, diversoque tempore existentibus non potest esse unica eademque persona.

Instat Lockius. Conscientiâ temporibus diversis diversâ personas constitui di-

versas solemnitèr declarat generis humani sententia. Leges enim humanæ debitas hominis insani sceleribus pœnas ab homine sano non repetunt; quod ostendit hominem sanum & insanum duas esse personas. Quod etiam explicari potest consuetâ Gallorum loquendi ratione quâ dicunt : *Un tel n'est plus le même, où il est hors de lui même ; expressions qui donnent à entendre en quelque maniere que ceux qui s'en servent présentement, ou du moins qui s'en sont servi au commencement, ont cru que le* soi *étoit changé, que ce* soi, *dis-je, qui constitue la même personne n'étoit plus dans cet homme.* Atque hæc sunt argumenta valida quibus opinionem suam Lockius confirmat.

Respondeo. Leges civiles hominis insani malèfacta in hominum sanum non animadvertunt; quia homo insanus libertatis non est particeps : facta autem non libera punire injustum esset. Cum nemo ad id teneri possit, quod facere non potest. Ita sentit hominum genus universum, nec antè Lockium repertus est homo, qui prædictæ legis rationem ex personæ diversitate vel somnians petierit.

Cùm autem addit Lockius personæ mutationem probari usurpatâ apud Gallos loquendi ratione quâ dicunt, *is homo idem non est, apud se non est*; id profectò ridiculum est. Si enim gallos omnes interro-

gasset Lockius, responsum hoc accepisset. prædicta loquendi ratio de accidentium mutatione, quæ ideò accidentalis appellatur, non de mutatione personæ apudnos intelligitur. Nec enim ullus unquam gallus existimavit hominem, qui ex imperito peritus fit, ex inurbano urbanus, ex albo niger, vel qui subitâ iracundiâ exardescit vehementius, diversas esse personas. Imo hâc suæ opinionis probatione sibi Lockius contradicit. ejus enim generis mutationes non impediunt, quominùs eadem sit cogitationum præteritarum & actionum conscientia.

Ex dictis perspicuum est, quàm absurda sit Lockii sententia; quod maximè observandum est propter materialistas, qui eâdem opinione ridiculè abutuntur.

De identitate rei cum alterâ comparatæ.

Res quæ comparatur cum alterâ, si ejus similis sit sæpè dicitur idem, vulgari quidem sermone, & ab ipsis etiàm philosophis sæpiùs usurpato: verùm hæc loquendi ratio omninò impropria est. Si enim strictè & accuratè loquamur, ea solùm sunt idem, quæ sunt unum, non multa; & idcircò usus obtinuit, ut dicantur unum & idem. Quocircà quæ sunt multa, sive similia sint sive diversa, hæc non sunt idem; sed distincta.

De distinctione.

Quæstio præsens sub nomine distinctionis gradum Metaphysicorum famosa, adeò quibusdam invisa est & despecta ; ut ex eâ maximè ad contemptum & ignominiam nomen Philosophorum *Scholæ* iis omnibus tributum fuerit, qui de eâ disputant. Verum pace summorum ejus generis ingeniorum dixerim quæstionem hanc cum aliis momenti maximi, & religionis mysteriis cognationem habere necessariam ; neque fieri possé, ut benè cognoscantur animi & corpora, nisi prius examinatum fuerit quid sint, an & quâ ratione distinguantur eorum attributa, proprietates, modi, qualitates.

Distinctio est negatio identitatis, id est, ea distinguntur quæ non sunt unum & idem, sed multa. Itaquè confundenda non est distinctio 1°. cum diversitate. Nam duo nummi aurei perfectè similes, hoc ipso quod sunt duo, distinguuntur. 2°. Neque cum separatione. Nam corpus & animus, ipsæ corporis partes inter se unitæ distinguntur ; cum multæ sint. 3°. Nec cum separabilitate. Tres enim personæ sanctissimæ Trinitatis sunt inseparabiles ; & tamèn distinctæ, quia tres.

Distinctio triplex est, realis, mentalis vel ut alii loquuntur, virtualis, & nominalis.

Ea reipsà distinguuntur, quæ in se ipsis & indeqendentèr à cogitatione nostrâ sunt multa; sic Petrus & Paulus reipsà distinguuntur. Alii dicunt, distinguuntur *realitèr*, *à parte rei*, quæ sunt voces in præsenti quæstione usurpari solitæ.

Distinctio realis apud scotistas dividitur in realem majorem, realem minorem, & realem minimam.

Distinctio realis major, inquiunt scotistæ, ea est quæ intercedit inter substantiam & substantiam, puta inter Petrum & Paulum, inter nummos duos aureos.

Distinctio realis minor ea est, quæ reperitur inter rem substantialem, ejusque modum.) Ex. gr. inter animum meum ejusque amorem aut dolorem. Alio nomine appellatur distinctio modalis.

Distinctio realis minima ea est, quæ inter ipsos modos, aut qualitates & attributa rerum inter-est. Cum autèm attributa & modos rerum appellent formalitates, ideò hæc distinctio alio nomine vocatur formalis.

Verùm distinctio quæ inter substantias intercedit immeritò dicitur major distinctione quæ reperitur inter modos, qui supponuntur reipsà distincti. Nam cum distinctio ipsa sit negatio identitatis, ideò solùm quædam distinguuntur, quia sunt multa. Sed modi qui reipsa supponuntur

distincti non minus sunt multi, quam substantiæ sunt multæ. Ergo non minor inter prædictos modos intercedit distinctio, quàm inter substantias. Hinc Philosophi omnes rejiciunt hanc divisionem distinctionis à Scotistis excogitatam.

Distinctio mentalis sic dicitur quod à mente & cogitatione oritur, & inter ea intercedit quæ multa concipiuntur, quamvis reipsa sint unum idemque positivum. Sic, inquiunt Thomistæ, cera ejusque rotunditas non sunt duo entia, sed unum idemque positivum; & tamèn ut duo concipiuntur. Hæc distinctio aliis nominibus appellatur distinctio virtualis, distinctio rationis.

E Philosophorum scriptis delenda esset divisio in distinctionem rationis ratiocinantis, & rationis ratiocinatæ. Quis enim, nisi sensu communi careat, distinctionem rationis ratiocinantis eam appellaverit, quæ sine ullo fundamento à mente ponitur.

Distinctio nominalis consistit in eo quod res eadem multis diversisque donetur nominibus. Hæc autem diversa nomina, inquit Ochamus, ejusque asseclæ nominales dicti, ex diversis ejusdem rei effectibus extrinsecis aut relationibus ducunt originem.

Scotistæ duce scoto distinctionem realem

lem modalem admittunt inter res quaslibet substantiales sive spiritales sive materiales, earumque attributa, modos & relationes; distinctionem verò realem formalem inter rerum proprietates, modos aut qualitates inter se comparatas; Thomistæ cum sancto Thoma Dominicano, distinctionem mentalem intrinsecè fundatam; Philosophi nominales distinctionem penès sola nomina. Quamvis autèm diversæ rei proprietates & modi sint dumtaxàt diversa unius & ejusdem positivi nomina; multa tamèn concipiuntur, aut proptèr effectus extrinsecos, aut etiàm, ut quibusdam nominalibus placet, ex solo mentis errore.

Omnes illi diversarum partium Philosophi quibusdam exemplis decepti opinati sunt de cæteris omnibus rerum quarumlibet modis, proprietatibus, qualitatibus idem ferendum esse judicium; ceu verò liceret ex singularibus quibusdam universale concludere.

Scilicèt nominales cùm expendunt quid sint ens, substantia, existentia, respectu animi nostri; hæc attributa non concipiunt velùt quædam realia quibus attributum animi constitutivum superadditum sit. Et proindè ne per cogitationem quidèm hæc distincta asserunt; sed diversa

esse ejusdem rei nomina. De cæteris omnibus eâdem ratione judicant.

Thomistæ non modò iisdem exemplis, sed etiam figuris corporum utuntur, ut ostendant hæc non esse totidèm positiva, totidèm entitates, reipsà distinctas; idemque judicium ferunt de modis animorum, sivè necessariis, sivè contingentibus.

Scotistæ concipiunt varios animi nostri modos, atque affectiones totidèm esse positiva quæ animo nostro sint reipsà superaddita; & proindè reipsà & independentèr à nostrâ cogitatione distincta. Indè concludunt eodem modo ratiocinandum esse de omnibus corporum modis, relationibus, qualitatibus.

Ego verò existimo singula seorsìm expendenda esse, eaque sola esse realitèr distincta, quæ post maturum examen cognoscuntur in se esse positiva quædam rebus substantialibus reipsà superaddita; non verò negationes, vel meræ relationes. His prænotatis, quæ attentionem quamdam mereri videntur, sit.

PROPOSITIO I.

Ens, substantia, existentia respectu animorum, & corporum non sunt in se positiva quædam ab attributis eorum constitutivis reipsà distincta.

Hæc perspicua sunt ex jàm dictis in

quæstionibus superioribus.

Idem dicendum de plerisque rerum generibus, ut etiàm ex dictis patet. Utrum verò de omnibus generibus eodem modo sit judicandum, expendat cui per otium licebit singula percurrere.

Hinc claret quid sentiendum sit de gradibus metaphysicis, qui aliud nihil sunt, nisi genera quædam alia aliis universaliora.

PROPOSITIO II.

Similitudo, dissimilitudo, proximitas, contiguitas, cæteræque ejusdem generis entium contingentium relationes, non sunt reipsà distinctæ à rebus quæ his donantur relationibus.

Pbr. Relationes ejusmodi non sunt in se entia positiva rebus relativis reipsà superaddita, ut probatum est. Ergo non sunt reipsà distinctæ à rebus quæ relationibus donantur.

PROPOSITIO III.

Modi corporum qui consistunt in variâ partium dispositione & situ, non sunt positiva quædam reipsà corporibus superaddita.

Probatur. Instar cæterorum ejusdem generis modorum sit rotunditas ceræ, quæ in eo posita est quod ceræ partes à centro communi distent æqualitèr. Atqui modus

ille, hæc æqualitas distantiæ à communi centro, non est aliquid positivum aut reale partibus ceræ reipsà superadditum; hæc enìm distantiæ æqualitas aliud nihil est nisi interponibilitas extensionis æqualis intèr illas ceræ partes & commune centrum. Ideòque potiùs est aliquid ceræ partibus extrinsecum, quàm aliquid positivum inhærens ipsis reverà superadditum. Ergo, &c.

Et verò absurdum est dicere ad muscæ volatum singulis mundi corporibus novum aliquod positivum advenire, totidèmque ipsi muscæ: quænam enìm esset causa horum entium efficiens. Atqui tamèn res ità se haberet, si modi corporis, qui consistunt in variâ partium dispositione & situ, essent aliquid positivum corporibus reipsà superadditum. Varia enìm partium dispositio, variusque situs aliud nihil est, nisi varia relatio distantiæ aut proximitatis illarum partium. Atqui cùm musca volat, mutatur singulis momentis relatio distantiæ ad singula mundi corpora. Ergo &c.

Quapropter ad muscæ volatum orbis totus mutaretur; quia res universæ novas cum muscâ relationes distantiæ vel propinquitatis acquirerent, novos proindè modos, entiaque positiva; imò cùm illi modi relationes ad sese invicèm haberent,

totidèm secundi modi positivi nascerentur, qui tertios alios generarent, sicque non solùm in infinitum, sed infinitorum infinitates. Quod absurdum solus Dagoumerius concoquere potest. Cùm enìm unicus modus requiritur, si quis tamèn sit necessarius, nec ille admitti potest, quìn infiniti, atquè infinitorum infinitates admittantur; id absurdum videtur magìs, quàm si diceretur unum esse duo, centum, mille, &c. Ergo &c.

Verbo dicam, illi modi sunt meræ relationes. Ergo &c. Ità sentiunt contrà quosdam Scotistas Philosophi omnes, maximè recentiores.

Hinc variæ corporum figuræ vel configurationes non sunt positiva quædam corporibus intrinseca, atquè ab ipsis realitèr distincta.

Etenìm si ex massâ ceræ vel auri detrahantur quædam partes, hæc massa corporis cujuslibet figuram induet. Quâ certè detractione nullum positivum novum partibus ceræ vel auri superadditum est, nihilque intrinsecùs mutatum.

Similitèr nummi mensæ impositi si diversimodè disponantur relativè ad sese invicèm, figuram exhibebunt rotundam, quadratam, &c. quis autèm vel cogitare poterit novum aliquod positivum singulis nummis advenisse? Quæ pro variis figu-

ris contingit mutatio, tota singulis est nummis extrinseca; & consistit in majori vel minori, æquali vel inæquali, diversâque nummorum ad sese invicèm distantiâ, vel contiguitate. Quod idem de corporum figuris quorum partes sunt unitæ, sentiendum est. His enìm figuris nequè ullum superadditur novum positivum; nec ulla mutatio intrinseca singulis corporum partibus aut reipsà evenit, aut etiàm evenire concipitur.

Quapropter author Actionis Dei in creaturas, p. 1. sect. 1. c. 2. *Pour donner*, inquit, *à la matiere de nouvelles modalités, il n'est pas nécessaire d'y ajouter de nouveaux degrés d'être, mais il suffit de ranger différemment ses parties. Je prends dans ma main un nombre de jettons, je les arrange sur une table, j'en fais un quarré, ensuite un triangle, un exagone; ce sont toujours les mêmes jettons. Et pour former ces différentes figures, il ne faut que ranger différemment ces jettons. Il en est de même des parties de la matiere. Est-il croyable que la figure triangulaire, ou la quadrature, soit un être différent de ces jettons arrangés en triangle ou en quarré? & que quand je brouille mes jettons arrangés en quarré, un petit être nommé quadrature, s'envole sur le champ? & que sitôt que je les arrange de nouveau, il sort*

du sein du néant, & qu'il va se loger sur cet arrangement qui vient d'être fait? Mais encore par qui cette petite entité seroit-elle formée? L'admirable fecondité, si en répandant des jettons sur une table, j'avois le pouvoir de verser de nouveaux êtres à pleine main!

Tamèn figuræ dicuntur & concipiuntur corporibus intrinsecæ; non quod sint vel concipiantur aliquid positivum corporis partibus de novo inhærens atquè additum, sed quod consistant in vario situ partium ipsius corporis relativè ad se invicèm variè dispositarum.

Quid autèm concipitur, cùm exhibentur menti corporum figuræ? Concipitur major vel minor, æqualis vel inæqualis distantia, vel contiguitas partium ipsius corporis relativè ad sese invicèm: quæ major vel minor distantia aliud nihil est aut concipitur nisi majoris aut minoris corporis intèr partes illas interponibilitas.

Verùm sunt nè reales corporum figuræ? Ità quidem. Etenim independentèr à cogitatione nostrâ inter varias ejusdem corporis partes majora aut minora, æqualia vel inæqualia interponi possunt corpora. Sed illud est partibus corporis figurâ donati extrinsecum.

Variæ ejusdem corporis figuræ sunt ne

diversæ? Reipsà diversæ sunt, sed eodem sensu quo sunt reales, eâdemque de causâ.

Hinc facilè intelligitur quare corporum figuræ concipiantur ut diversæ, ut distinctæ, diversisque definitionibus explicentur.

Quapropter ad realem distinctionem non sempèr sufficiunt diversi conceptus, diversæque definitiones.

PROPOSITIO IV.

Modi seu affectiones animi nostri sunt in se & ratione sui totidèm positiva animo nostro reipsà superaddita.

Probatur. Nàm illi modi, quales sunt dolor, sensatio, amor, sensum sui faciunt, & quidèm vividum: atqui sensum sui non facerent, nisi essent in se & ratione sui totidèm positiva animis nostris reipsà superaddita. Si enìm res non ità se haberet, vel illi modi in se & ratione sui solius spectati essent merum nihil, vel meræ relationes, vel essent ipsum positivum quo animus constituitur. Atqui 1°. non possunt dici in se & ratione sui solius spectati mera nihila. Quippè nihilum non potest sensum sui ipsius excitare in animo. 2°. Non possunt dici meræ relationes, eâdem de causâ. Quippè animus singulis instantibus novas acquirit rela-

tiones ad cæteros animos, quæ profectò non sentiuntur. 3°. Non possunt dici ipsum positivum quo animus constituitur. Quamvìs enìm non clarè cognoscatur quâ ratione sensum sui faciant, perspicuum tamèn est & omnibus apertum duo ad sensum intimum requiri, alterum quod sentiat, & alterum quod sentiatur.

Et verò si positivum illud quo animus constituitur seipsum solum, non aliquid aliud sentiret, cùm idem sempèr sit, idem quoquè sempèr esset sensus intimus, non interruptus, nec diversus, ut claret; quod certè experientiæ adversatur. Ergo &c.

2°. Animus noster est activus: dùm autèm suos efficit amores, vel nihil operatur, vel seipse efficit, vel facit aliquid sibi superadditum. Priora duo sunt absurda. Alioquìn dicendum esset animum nostrum cùm amores suos efficit, aut non agere, aut esse sui ipsius causam. Ergo dùm animus suos efficit amores, aliquid facit sibi superadditum.

3°. Mutari animum, varias cùm acquirit affectiones, nobis intimè conscii sumus. Mutatio autèm intrinseca duplici tantùm ratione contingere posse concipitur, aut variâ partium dispositione, ut in corporum figuris, aut novi cujusdam positivi additione. Verùm animus omninò simplex est, nec ex multis partbus

concretus. Ergo non variâ partium dispositione, sed novi cujusdam positivi additione mutatur. Ità fermè author Actionis Dei in creaturas; quibus hæc addit: *L'on ne persuadera jamais à un homme sensé qu'une connoissance & un plaisir soient un néant.*

Dices. Affectiones animi sunt dumtaxàt diversi status, diversæ existendi rationes, non secùs ac rotunditas aut quadratura ceræ; quare non magìs affectiones animi nostri sunt totidèm positiva ipsi superaddita, quàm rotunditas aut quadratura ceræ. Atqui rotunditas ceræ non est positivum quoddam ceræ superadditum. Ergo &c.

N. maj. Ratio disparitatis est quod rotunditas ceræ sit dumtaxàt quædam relatio partium ceræ; affectiones verò animi nostri non sunt meræ relationes. Nàm sensum sui faciunt: atqui non sentirentur, si meræ relationes essent. Ergo &c.

Instabis. Si cera esset sensûs intimi capax, diversum experiretur sensum intimum rotunditatis & quadraturæ. Ergo valet paritas.

N. ans. Etiamsi enìm per impossibile supponeretur cera sensûs intimi capax in omnibus suis partibus; hæ tamèn partes nullum experirentur sensum intimum rotunditatis seu æqualis distantiæ à centro

communi. Non magis enim illam distantiæ æqualitatem sentirent, quàm illam sentiunt multi homines in orbem dispositi. Atqui profectò illam non sentiunt, ut quisque experitur. Ergo &c. Verbo dicam quod una pars respiciat ortum vel occasum, quod sit suprà vel infrà alias posita, quod sit ab aliâ parte magìs vel minùs, æqualitèr vel inæqualitèr distans; perspicuum est hæc omnia meras esse relationes, quæ nullum sensum intimum excitare possunt, etiàm in eorum sententiâ qui ejusmodi relationes, ipsumque motum animis tribuunt.

PROPOSITIO V.

Modi animorum nostrorum sunt reipsâ intèr se diversi.

Probatur. Nàm modi animorum, quales sunt dolor, sensatio, amor diversum reipsà sui sensum excitant in animo. Ergo de illorum diversitate reali constat per sensum intimum, quod est motivum infallibile.

Et verò illi modi sunt in se ipsis diversi, quorum proprietates sunt reipsà diversæ. Atqui horum modorum proprietates sunt reipsà diversæ. Nàm dolor, ex. gr. à nobis non efficitur, amor verò à nobis producitur; dolor ingratè animum afficit, amor non ingratè. Ergo proprietates sunt reipsà diversæ.

Ex his patet modos & proprietates rerum quarumlibet non esse dumtaxàt diversa ejusdem rei nomina, nec proptèr solos effectus concipi ut distincta; ideòque falsam esse nominalium opinionem. Thomistarum & Scotistarum nunc referendæ sunt sententiæ.

Sententia Thomistarum.

Sentiunt Thomistæ cujuslibet corporis aut spiritûs attributa, perfectiones, & modos non distingui, sivè intèr se, sivè à suo subjecto, nisi per conceptum mentis & cogitationem; ità ut à parte rei, ut loquuntur, seu in rebus ipsis hæc omnia sint unum idemque ens, unum idemque positivum, eademque entitas; & tamèn à nobis ut multa & etiàm diversa concipiantur.

Quo autèm pacto fieri possit, ut quæ sunt unum idemque positivum concipiantur sine mentis errore ut multa & diversa: unitati enìm & identitati nihil opponitur magìs, quàm multitudo & diversitas; id variè explicant.

Alii cum nominalibus asserunt attributa, rerumque affectiones multa concipi & diversa proptèr fundamentum extrinsecum, id est proptèr effectus diversos qui ab unâ eâdemque re proficiscuntur. Sic quia unus idemque Solis radius

& ceram liquefacit & lutum indurat; indè menti fundamentum eſt, ut duas in radio ſolari virtutes diverſas eſſe cogitet.

Hæc autèm explicatio falſa patet, tùm ex dictis; tùm quià qui rem maturiùs expendit, clarè cognoſcit prædictos effectus per unicam virtutem, per unum eumdemque radii motum produci. Quare proptèr illos effectus non poteſt diverſas virtutes concipere, niſi ex ignorantiâ vel imprudentiâ. Ex quo ſequeretur errore tantùm mentis fieri, ut in corporibus aut animis multæ diverſæque perfectiones vel modi conciperentur; quod falſum eſt.

Sententia Thomiſtarum communior.

Alii ex Thomiſtis dicunt attributa rerum atquè affectiones multa concipi proptèr fundamentum intrinſecum; quià per hæc attributa, modoſque res multis entibus diverſis æquivalet intrinſecùs. Sic, inquiunt, Deus per juſtitiam & miſericordiam duobus entibus æquivalet, quorum alterum eſſet juſtum, alterum verò miſericors

Verùm quæritur ab illis an æquivalentiæ illæ intrinſecæ, quæ ſunt ipſa attributa aut modi, ſint reipsà diverſæ aut diſtinctæ? Reponunt eſſe unam eamdemque entitatem divinam, ſed concipi ut

diversas per abstractionem, vel, ut amant loqui, per conceptus præcisivè diversos.

Hæc etiàm sententia falsa est. Tùm quià animorum affectiones non per abstractionem solùm, sed reipsà diversæ sunt: tùm quià ad distinctionem mentalem necesse est, ut quæ per mentem distinguuntur, concipiantur multa, etiàm cum simùl concipiuntur. Atqui res ità se non haberet, si attributa rerum & modi per solam abstractionem multa conciperentur. Nàm, ex. gr. figura & rotunditas circuli quæ ut Thomistis placet, per abstractionem concipiuntur diversæ, si simùl concipiantur, non exhibentur ut multæ. Rotunditas enìm per se ipsam, & per illud ipsum quo constituitur rotunditas, repræsentatur & concipitur esse figura, quamvìs ad figuræ nomen non sempèr attendatur. Ergo cùm simùl concipiuntur, non repræsentantur ut multa.

Recentiorum Thomistarum sententia.

Recentiores quidam Thomistæ sic distinctionem mentalem explicant. Attributa rerum & modi concipiuntur intèr se diversa, quià reipsà diversa sunt. Attamèn reipsà non distinguuntur aut à suo subjecto aut intèr se. Nàm modi, sivè necessarii, sivè contingentes sunt entia in alio, id est non existunt existentià sibi

propriâ, alioquìn totidèm essent substantiæ, sed existunt per ipsam subjecti cui inhærent existentiam. Verùm existentia subjecti, scilicèt animi humani, non est aliquid positivum ipsi superadditum, sed est ipsa animi essentia. Quare illi modi sunt ipsa animi entitas, sunt cum ipso una eademque res. Sed quæ sunt idem cum uno tertio, ea sunt etiàm quid idem inter se. Ergo modi animi reipsà intèr se non distinguuntur. Itaquè idea est ipse animus cognoscens, volitio est ipse animus volens &c. In se autèm spectatæ idea & volitio sunt animi status, sunt meræ existendi rationes, non secùs ac corporum figuræ.

Hæc quidèm explicatio ingeniosa est, receptisque apud Philosophos notionibus consentanea. Sed multa sunt quæ mihi non probantur, ut ex dicendis perspicuum fiet. Quibus tamèn mea non arridebit sententia; hi recentiorum Thomistarum opinionem amplectantur, quam objectionibus infrà proponendis confirmare poterunt. Cæterorum enìm Thomistarum explicationes multis rationibus falsæ demonstrantur, ut ex dictis perspicuum est.

Sententia Scotistarum.

Scotistæ contendunt attributa rerum & affectiones aut relationes reipsà distin-

gui, tùm intèr se, tùm à suo subjecto. Sed omnium una non est eademque mens. Dagoumerius in quolibet ente duo attributa distinguit, genus, & differentiam, ex quibus tanquàm ex fonte fluunt quædam proprietates, vultque attributa, proprietates, modos ipsas relationes esse entia in alio existentia. Cùm autèm quodlibet genus suam habeat essentiam, suum idcircò genus habet, suamque differentiam reipsà distincta, & sic in infinitum. Quare quodlibet ens, ut ipsi videtur, ex infinitis entibus & formalitatibus componitur. Quorum rationem ex Dagoumerio si quæras, reponet, id percipitur. Ergo verum est.

Refellitur. Ex jàm dictis ubi de ente, substantiâ, existentiâ, essentiâ, & abstractionibus patet hanc omninò falsam esse sententiam.

Præterea fatendum, ut jàm probatum est, multa prædicata esse mera nomina abstracta, multos conceptus meras esse abstractiones quæ nullum habent objectum reale & positivum, rebus superadditum. Relationes, figuræ non sunt entia positiva, ut ostendimus. Quapropter universìm malè concluderetur ea independentèr à cogitatione distingui quorum diversi sunt conceptus, diversæ definitiones, diversa prædicata.

Sententia mea.

Suppono, quod jàm probatum est ubi de substantiâ disputavi, positivum illud quod est animi nostri constitutivum per se ipsum esse substantiale, non verò per quamdam substantiæ naturam genericam cui sit aut etiàm concipiatur superadditum.

Animorum modi, proprietates, attributa, quæ post maturum examen concipiuntur non ut meræ negationes, nequè ut meri respectus, sivè naturæ substantialis, sivè alterius attributi, sed ut positiva verè superaddita; hæc contendo esse reipsà & independentèr à cogitatione distincta. En mea sententia, quam ut adstruam, modos animi nostri in exemplum adduco. Itaquè sit.

PROPOSITIO.

Modi animorum & ab animis & à se invicèm reipsà distinguuntur.

Probatur. Modus animi, ex. gr. dolor reipsà sentitur. Ad sensum autèm duo reipsà requiruntur, unum quod sentiat, alterum quod sentiatur. Ergo animus ejusque dolor sunt reipsà duo, seu distinguuntur realitèr.

2°. Modi animorum, ut probatum est, sunt positiva quædam reipsà diversa, animisque superaddita. Cùm enìm ani-

mus amorem suum efficit, certè non nihilum, non meram relationem, nec se ipse facit, sed aliquid sibi reipsà superadditum. Atqui res ità se habere non potest, quin reipsà distinguantur. Si enim non reipsà distinguerentur, non essent aliquid positivum reipsà animo superadditum, sed in rei veritate essent ipse animus. Ergo &c.

Et verò res non potest independentèr à cogitatione esse diversa à seipsâ per aliquid positivum, nisi reipsà sint multa positiva. Quemadmodùm corpus non potest esse à seipso diversum per figuras, nisi sint multæ reipsà figuræ. Ergo &c.

3°. Modi animorum concipiuntur ut multi & diversi post quodlibet examen etiàm cùm simùl concipiuntur. Atqui hoc posito reipsà distinguuntur, alioquin ideæ nostræ etiàm post examen & attentionem essent falsæ; cùm repræsentarent ut multa, quæ reipsà non essent multa. Ergo &c.

Idem dicendum de attributis animi nostri, de Dei perfectionibus, quæ post maturum examen concipiuntur non ut meræ negationes, neque ut ejusdem perfectionis varii respectus, sed tanquàm positiva quædam à se invicèm diversa.

Et verò illa sententia admittenda est, quam postulare necessariò videntur SS. Trinitatis & Incarnationis mysteria. Atqui

ſententiam noſtram poſtulare neceſſariò videntur prædicta myſteria. Nam 1°. fide certum eſt tres eſſe reipsà perſonas in unicâ Dei naturâ. Atqui niſi perſonæ illæ reipsà diſtinguerentur à naturâ divinâ, non eſſent reipsà tres, ſeu reipsà non diſtinguerentur inter ſe. Etenìm remotâ omni ſubtilitate diſputandi, quæ identificantur cum uno tertio, hæc identificantur intèr ſe. Ergo myſterium SS. Trinitatis &c.

2°. Fide ſimilitèr certum eſt Verbum Dei ſolum, non Patrem, nec Spiritum ſanctum fuiſſe incarnatum. Ex quo conſtat unionem cum humanitate factam fuiſſe in perſonâ Verbi divini, non verò in naturâ divinâ, nec in aliis perſonis. Atqui ſi perſonæ divinæ cum naturâ divinâ eſſent reipsà unum & idem, fieri omninò non poſſet unio humanitatis in perſonâ Verbi, quin & in naturâ divinâ & in aliis duabus perſonis ſimùl fieret. Hìc enìm agitur non de unione per cogitationem noſtram, ſed de unione reali. Ergo &c.

Obj. 1°. Illa ſententia non eſt admittenda in quâ aſſignandum eſſet ſubjectum attributis rerumque affectionibus, nec ullum poſſet aſſignari. Atqui res ità ſe haberet in noſtrâ ſententiâ. 1°. Aſſignandum eſſet ſubjectum. Nàm rerum attributa quælibet, affectioneſque concipiun-

tur & ſunt totidèm formalitates : proindè totidèm entia in alio exiſtentia. Ergo indigent ſubjecto in quo recipiantur.

2°. Nullum poſſet aſſignari ſubjectum. Nam vel illud ſubjectum eſſet quædam formalitas ſeorsìm ſumpta, vel collectio formalitatum. Verùm quælibet formalitas ſeorsìm ſumpta eſt ens alteri inhærens, quæ proinde ſubjecto in quo recipiatur, indiget. Aliundè formalitates per collectionem non amittunt ſuam naturam, nec eſſe deſinunt entia in alio, quia colliguntur. Ergo ipſi formalitatum collectioni neceſſarium eſt ſubjectum.

Reſpondeo hanc difficulatem quæ in Dagoumerii ſententiâ inſuperabilis eſt, in meâ ſententiâ nullam eſſe ; nihilque facilius eſt quam ſubjectum aſſignare.

Nam illud poſitivum quod appellatur attributum animi conſtitutivum, non eſt formalitas quædam, ſed res ſubſtantialis ; nec eſt ſubſtantiale per naturam quamdam ſubſtantiæ cui reipsà ſuperadditum ſit aut ſuperadditum concipiatur; ſed cum ſit quid unum ſimplex per ſe ipſum eſt ſubſtantiale. Atqui illud eſſe poteſt ſubjectum modorum & proprietatum quæ ſunt entia in alio. Ergo &c. nec alia poteſt reſponſio afferri etiàm in ſententiâ Thomiſtarum, in quâ per cogitationem ſaltèm aſſignandum eſſet ſubjectum, cum attributa &

modi concipiantur entia in alio existentia. Ergo &c.

Quæ possent hoc de capite ulterius proponi difficultates, solutæ reperiuntur, si quæ de substantiâ scripsi, consulantur.

Ob. 2°. animorum modi non sunt totidèm substantiæ. Atqui si reipsà distinguerentur ab animo, totidèm essent substantiæ. Nam si modi sint positiva quædam reipsà ab animo distincta existunt existentiâ sibi propriâ. Ergo sunt totidèm substantiæ.

N. mi. ad cujus probationem dg. ans. modi illi existunt existentiâ sibi propriâ sed modali, & quæ à subjecto sit dependens. C. ans. existunt existentiâ sibi propriâ sed substantiali, & quæ sit à subjecto independens. N. ans. & consequentiam.

Equidèm modus animi ex. gr. dolor, aut amor existit existentiâ sibi propriâ. Est enim positivum quoddam animo reipsà superadditum; ut jam probatum est. Repugnat autem dari positivum aliquod extrà nihil positum, quod existentiam sibi propriam non habeat. Nam repugnat tale positivum quod essentiam sibi propriam non habeat. Sed existentia ita est ipsa essentia, ut ne concipiatur quidèm aliquid positivum essentiæ superadditum, ut constat ex iis quæ de existentiâ scripsi. Ergo habet existentiam sibi propriam.

Verùm exiſtentiam habet modalem, & à ſubjecto dependentem. Eadem quippè ratione exiſtentiam habet, quâ eſſentiam. Atqui modus animi eſſentiam habet modalem, & à ſubjecto dependentem. Nec enim eſſe poteſt, niſi in re ſubſtantiali exiſtat. Ergo &c.

Ins. id unum diſcriminis eſt ſubſtantiam inter & modum, quod ſubſtantia exiſtentiam habeat propriam, modus verò alienam. Ergo &c.

N. ans. fundatur hæc objectio in erroneâ notione tum ſubſtantiæ, tum exiſtentiæ. Legantur quæ de utrâque ſcripſi. Nec ſatis mirari poſſum hanc difficultatem à recentioribus Thomiſtis propoſitam eſſe, cum ipſi ultrò fateantur exiſtentiam non eſſe modum quemdam eſſentiæ ſuperadditum. Ex quo ſequitur, ſi ſecum Thomiſtæ cohœreant, ipſam ne concipi quidèm poſſe tanquàm aliquid rei ſuperadditum.

Et vero paradoxum mihi videtur, ſi dicatur modum eſſe in ſe poſitivum aliquod animis ſuperadditum, ipſum tamèn non exiſtere niſi exiſtentia alienâ ſcilicet animorum exiſtentiâ. Etenìm exiſtentia animi nec eſt nec concipitur aliquod poſitivum animo ſuperadditum; ſed eſt ipſa eſſentia animi extrà nihilum poſita, ut loquuntur. Quare ſi modi alicujus exiſtentia eſſet ipſa animi exiſtentia, eſſet quo-

què ipsa animi essentia. Atqui repugnat modum in se esse aliquid positivum animo superadditum, illumque tamen esse ipsam animi essentiam. Insupèr cum mens volitionem quamdam produceret, suàm efficeret essentiam. Quod absurdum est. Ergo &c.

Quapropter Suares disp. 31. contendit 1°. modis suam esse existentiam propriam, non verò existentiam subjecti cujus sunt modi. 2°. Rem nullam existere posse existentiâ alienâ. Utrumque demonstratum ex eo putat, quod existentia non possit esse aliquid rei essentiæ superadditum. Quo quidem contrectario nullum videtur in mathematicis evidentiùs.

Ins. illud est substantia, quod potest solum existere, & à subjecto separatum. Atqui si modus animi existentiam habeat sibi propriam, & ab animo reipsâ distinctam, potest modus existere solus & ab animo separatus. Deus enim per suam omnipotentiam poterit illum ab animo separare, cum in se habeat, quidquid requiritur ut solus existat. Ergo &c.

N. mi. & probationis ans. Deus enim non potest essentiam modi mutare. Atqui essentia modi in eo consistit, quod in subjecto existat, ipsumque modificet, & afficiat. Ergo &c.

Quid autem sit alteri inhærere, ipsum

modificare, & afficere: id intelligere nemini concessum est. Non tamèn neganda sunt clara, propter obscura quædam quæ à nemine intelliguntur.

Ob. 3°. modi non creantur. Atqui crearentur si totidèm essent positiva ab animò realitèr distincta. Ergo &c.

N. mi. nam creationis nomine intelligitur productio rei substantialis. Atqui modi non sunt res substantiales, etiamsi positiva quædam sint realitèr distincta, ut probatum est. Ergo &c.

Ins. creatio est productio rei ex nihilo, tum sui tum subjecti. Atqui si modi realitèr ab animo distinguantur, producuntur ex nihilo tùm sui tùm subjecti. Ergo creantur.

Dg. maj. creatio est productio rei substantialis ex nihilo tum sui tum subjecti. C. maj. creatio est productio rei modalis ex nihilo tum sui tum subjecti. N. maj. & similitèr distinctâ N. mi. consequentiam duas quidèm productionis species secernunt Thomistæ, creationem & eductionem; creatio ab illis definitur productio rei ex nihilo tum sui tum subjecti; eductio verò, productio rei ex nihilo sui, non autèm ex nihilo subjecti. Verùm hæc posterior definitio intelligi non potest.

Quid enim significat productio rei ex nihilo sui, non autèm ex nihilo subjecti? An

An modus ex. gr. amor qui certè aliquid est positivum, antequàm produceretur, erat nihilum in se, & tamèn erat aliquid positivum in subjecto, scilicèt in animo? Profectò res quæ nihil est in se & ratione sui, non potest esse aliquid positivum in subjecto. Alioquìn idem simùl esset & non esset.

An verò id significat modum animi meram esse animi evolutionem & explicationem, ut vulgò loquuntur Thomistæ, sed ratione sui nihil esse animo superadditum. Variæ quidèm figuræ dicuntur, & sunt corporum evolutiones aut explicationes; quià si redundantium partium detractione evolvantur corpora & explicentur, in illis quælibet cernuntur figuræ, quæ aliud nihil sunt nisi varius situs, varia partium ad se invicèm dispositio. Quis autèm, nisi ineptus sit, poterit in animo simplici varias partium ad se invicèm dispositiones dicere aut admittere. Itaquè ineptæ sunt evolutionis & explicationis denominationes, dantque locum gravissimis erroribus, cùm è corporibus ad animos transferuntur.

Instabis. Docentibus Philosophis omnibus, non potest dari creatura creatrix. Atqui existere posset creatura creatrix, si modi productio sit effectio rei ex nihilo tùm sui, tùm subjecti. Ideò enìm non potest existere creatura creatrix; quià

ſuperanda eſſet diſtantia infinita quæ intèr nihilum & ens poſitivum intercedit, ad quod requiritur potentia infinita, quam creatura nulla habere poteſt. Atqui ſi productio modi ſit effectio rei ex nihilo, tùm ſui, tùm ſubjecti, vel non eſt diſtantia infinita intèr nihilum & ens, vel creatura quædam habet potentiam infinitam, cùm animus noſter ens aliquod educat è nihilo tùm ſui, tùm ſubjecti. Ergo &c.

N. mi. Creare namque eſt rem ſubſtantialem efficere. Atqui licèt creatura poſſit ens modale è nihilo tùm ſui tùm ſubjecti, educere, non ideò poteſt rem ſubſtantialem efficere. Ad hoc enim potentia major quàm ad illud requiritur. Ergo &c. Ad probationem. Ut ut ſit de argumento adhiberi ſolito, ut oſtendatur nullam eſſe poſſe creaturam creatricem; quod argumentum multis nobilibus Philoſophis improbatur.

Dico non eſſe diſtantiam infinitam intèr nihilum & ens modale. Nàm, ut patet, diſtantia major eſt intèr nihilum & ens ſubſtantiale, multoque major intèr nihilum & Deum. Ergo diſtantia intèr nihilum & ens modale non eſt infinita; ideòque ad eam ſuperandam potentia infinita non eſt neceſſaria.

Et verò exiſtere poſſe facultatem fini-

tam, quæ reverà sit activa, non evidentiâ solùm, sed conscientiâ perspicuum est. Facultas autèm activa non est, si nihil efficiat; si ens saltèm modale è nihilo non educat. Ergo necessaria non est potentia infinita, ut ens modale è nihilo educatur.

Instabis. Favet Atheis allata responsio. Nàm dicent Athei tàm fieri posse ut homo hominem, remque alteram substantialem efficiat, quam ens modale è nihilo educat: quo posito, probari non poterit Deum esse creatorem. Ergo &c.

N. ans. Imò nihil adversatur magìs Atheorum impietati. Hoc enìm est præcipuum Atheorum principium, *ex nihilo nihil fit*. Atqui principium illud falsum est in nostrâ sententiâ, quâ constat ens positivum modale è nihilo educi; quod certè negare non possunt Athei, cùm id non evidentiâ solùm, sed etiàm conscientiâ compertum habeatur. Ergo &c.

Nec dicere possunt Athei tàm fieri posse ut homo hominem efficiat, quàm ens modale. Etenìm ipsâ experientiâ certum est & indubitatum voluntatem nostram, quantùmvis nitatur, nunquàm posse corpus vel spiritum è nihilo educere. Ergo &c.

Obj. 4°. Mentis nostræ modificationes sentiuntur: atqui sentiri non possent, si

reipsà ab animo distinguerentur. Ergo reipsà non distinguuntur.

N. mi. Imò nisi realitèr distinguerentur, sentiri non possent. Nàm si reipsà ab animo non distinguerentur, essent in se vel merum nihil, vel mera relatio, vel ipsum positivum animi constitutivum. Atqui si res ità se haberet, non possent sentiri, ut probatum est. Verbo dicam, ad sensum duo requiruntur, unum quod sentiat, & alterum quod sentiatur. Ergo &c.

Instabis. Amor, ex. gr. vel sentiretur immediatè per se ipsum, vel ejus sensus intimus esset modificatio intèr animum & amorem media, ab utroque realitèr distincta: neutrum dici potest. Ergo &c.

N. mi. & dico amorem cæterasque affectiones immediatè per se ipsas sentiri, sensum verò intimum amoris non esse modificationem & ab animo & ab ejus amore realitèr distinctam. Alioquìn admittendus esset progressus in infinitum. Nàm si sensus amoris intimus esset modificatio realitèr ab amore & animo distincta, cùm hæc modificatio ipsa sentiretur, ejus sensus intimus esset altera modificatio realitèr distincta, quæ secunda modificatio, cùm etiàm sentiretur, alteram postularet, sicque in infinitum. Ergo &c.

Instabis. Si mentis affectiones per se ipsas sentirentur, ideò sentirentur, quià essent immediatè præsentes animo: atqu non ideò sentiuntur. Deus enìm animo nostro immediatè præsens est, nec tamèn sentitur. Ergo &c.

N. maj. Non præcisè sentiuntur, quià sunt immediatè præsentes animo; sed quià animo inhærent, eumque modificant. Quâ autèm ratione animo inhæreant, eumque modificent? Hæc sunt rationi prorsùs impervia. Nec ut sententia mea stet, ea dilucidè teneor explicare, quæ à nemine intelliguntur.

Dices. Modificationes non possunt ab animo sentiri, nisi agendo in animum; non possunt autèm in animum agere, nisi quidpiam in animo efficiant, nempè sensum intimum. Etenìm si nihil in animo efficerent, idem esset ac si non agerent. Jamverò sensus ille intimus quem amor vel altera mentis affectio in animo efficit, vel realitèr distinguitur tùm ab amore cujus est sensus, tùm ab animo; vel non. Si realitèr distinguatur: ergo admittendus est progressus in infinitum, ut jàm probatum est. Si reipsà non distinguitur ab animo: ergo affectio quædam, qualis est sensus intimus, animo advenit, quæ tamèn ab ipso realitèr non distinguitur. Nulla autèm esse potest ratio cur una

mentis affectio realitèr ab animo non distinguatur, cæteræ verò distinguantur. Ergo affectiones animi realitèr ab ipso non distinguuntur.

N. maj. Amor enim cæteræque mentis affectiones immediatè per se ipsas sentiuntur, non verò per sensum quemdam intimum, qui sit modificatio ab ipsis etiàm per cogitationem distincta: nec ulla actio vel agendi vis cogitari potest in animi affectionibus, quâ novam modificationem efficiant. Quod fateri tenentur ipsi adversarii, nisi progressum in infinitum velint admittere. Nàm ut dolor sentiatur, si necesse foret ab ipso sensum quemdam intimum effici, qui esset modificatio saltèm per cogitationem distincta; hæc nova modificatio cùm sentiatur, deberet sensum sui ipsius efficere, qui esset secunda quædam modificatio à priore saltèm per cogitationem distincta, sicque in infinitum. Ergo ut mentis affectiones sentiantur, necesse non est sensum quemdam intimum, sivè reipsà, sivè cogitatione distinctum, ab ipsis effici.

Quapropter constat mentis affectiones immediatè per se ipsas sentiri, quamvis non intelligatur quâ ratione id fiat.

Obj. 5°. Deus & animus humanus sunt substantiæ simplices. Atqui simplices non essent, si quælibet perfectiones vel

affectiones reipsà distinguantur. Tunc enìm animus ex multis entitatibus, ex multis entibus positis reipsà compositus existeret. Ergo &c.

Dg. maj. Id est, Deus & animus humanus sunt substantiæ immateriales, non solidæ, sicque ex partibus substantialibus non compositæ, seu, ut aiunt, sunt simplices physicè. C. maj. Sunt simplices metaphysicè; n. maj. Partes Physicæ sunt partes solidæ, substantiales, à se invicèm separabiles; partes verò metaphysicæ sunt attributa, perfectiones, affectiones. Deus quidèm & animus humanus ex multis partibus solidis & substantialibus non componuntur, cùm sint immateriales. Verùm nihil impedit quominùs multas habeant partes metaphysicas, id est multàs perfectiones atque affectiones. Nedùm enìm id fidei vel rationi adversetur, è-contrà ratio & fides docent Deum independentèr à cogitatione nostrâ multis ornatum esse perfectionibus. Atqui Deum independentèr à nostrâ cogitatione multis ornatum esse perfectionibus, est illas perfectiones esse realitèr distinctas. Multitudo enìm idem est ac distinctio. Ergo &c.

Quod autèm additur de entitatibus, explicent adversarii quid entitatum nomine intelligant; si substantias, nega-

mus; si perfectiones vel affectiones, concedimus. Eos tamèn monitos velim entitatem esse terminum abstractum quo aliud nihil significatur nisi ens.

Dices cum Authore Tractatûs de Systematibus: quis cogitare poterit ex substantiâ simplici, non compositâ detrahi posse ens aliquod positivum, vel ipsi superaddi, quin suam amittat simplicitatem? Ergo &c.

Respondeo animum nostrum eo sensu simplicem esse, non compositum; 1°. quod non sit solidum, 2°. quod ejus attributum constitutivum sit unum quid substantiale ex multis entibus realitèr distinctis non compositum. Quæ verò ipsi superadduntur entia modalia, non possunt ab ipso separata existere. Quibus positis, stat sempèr intèr animum & corpus essentiale discrimen, & concipitur quî fieri possit, ut ex substantiâ non compositâ ens aliquod modale detrahatur, vel ipsi superaddatur.

Obj. 6°. Animus mutatur intrinsecùs, cùm de non dolente fit dolens &c. Atqui si dolor realitèr ab animo distinguatur, animus per dolorem intrinsecùs non mutatur. Ergo &c.

N. mi. Id enìm intrinsecùs mutatur, quod amittit vel acquirit novum aliquod positivum intrinsecum. Atqui cùm animus

de non dolente fit dolens, novum aliquod positivum intrinsecum acquirit. Dolor enim est aliquid positivum in animo receptum, ut sensus intimus testatur. Ergo &c.

Instabis. Animus non mutatur intrinsecùs, si mutatio fiat dumtaxàt penès aliquid extrinsecum. Atqui res ità se habet, si dolor ab animo realitèr distinguatur. Nàm si dolor ab animo realitèr distinguatur, est dumtaxàt animo unitus & superimpositus. Atqui quod est dumtaxàt animo unitum & superimpositum, illud est animo extrinsecum. Ergo &c.

N. mi. Ad probationem neg. maj. Si enìm dolor esset dumtaxat animo unitus & superimpositus, eâdem ratione se haberet ad animum, quâ corpus ad alterum cui unitur & superimponitur. Atqui profectò non eâdem ratione se habet ad animum. Corpus enìm non inhæret, non modificat alterum corpus cui unitur & superponitur; dolor verò animum modificat, ipsique inhæret. Quâ autèm ratione animum modificet, ipsique inhæreat, id à nemine intelligitur. Nec illud explicare necesse est, ut ostendatur dolorem esse aliquid positivum ab animo reipsà distinctum. Sentitur enìm ab animo: ad sensum autèm, ut dixi, duo requiruntur, unum quod sentiat, &

alterum quod sentiatur.

Obj. 7°. Animus noster per suam voluntatem amat: atqui amare non posset si facultates & modi tùm intèr se, tùm ab animo reipsà distinguerentur. Ergo &c.

N. mi. imò è contrà. Si enim cognitio quæ est motivum amoris, reipsà non distinguatur ab animo; ipsa in se & ratione sui nihil est. Si nihil in se sit, motivum amoris esse non potest. Ergo &c.

Instabis. Animus non potest per voluntatem amare, nisi voluntas recipiat amoris motivum; seu cognitionem objecti amabilis. Atqui admissâ semèl reali distinctione, voluntas non potest amoris motivum recipere. Nàm cognitio, quæ est amoris motivum, in intellectu recipitur: atqui intellectus reipsà distinguitur à voluntate. Ergo motivum amoris in voluntate non recipitur. Quare cùm voluntas sit facultas cœca, non potest amare.

Respondeo 1°. hanc objectionem omnibus solvendam esse, ubi de voluntatis activitate disputatur.

2°. N. maj. Ut animus amet, motivum amoris in voluntate recipi necesse non est. Imò neque cognitio in intellectu, neque amor in voluntate recipitur. Cùm enim cognitio & amor sint modi, sint entia in alio existentia; in eo solo recipiuntur quod est ens substantiale. Atqui

illud positivum quod est essentiale & constitutivum animi, solum est ens per se ipsum substantiale; facultates autèm sicut & modi sunt entia in alio. Ergo in eo solo recipiuntur cognitio & amor, non verò in facultatibus. Et verò in eo solo recipiuntur cognitio & amor in quo sensum sui faciunt; atqui in animo, non verò in animi facultatibus, sensum sui faciunt; non secùs ac cæteræ mentis affectiones, dolores, sensationes, &c. Ergo &c.

Dices. Animi nostri modificationes sunt simplices, ut probatum est ubi de judicio. Atqui simplices esse non possent, si vera sit sententia de distinctione reali. Cùm enìm in toto animo reciperentur, deberent distribui in attributum animi constitutivum, ejusque facultates omnes atque proprietates. Ergo cùm hæc omnia totidèm sint positiva, realitèr distincta, deberent modi ex partibus reipsà distinctis constare.

N. mi. Ad probationem n. ans. Nàm ut ex præcedente responsione perspicuum est, modi non in facultatibus, neque in proprietatibus, sed in solo constitutivo animi recipiuntur. Atqui illud positivum essentiale & constitutivum est aliquid omninò simplex, nec ex multis realitèr distinctis compositum. Etenìm rationes entis &

substantiæ quæ ipsi tribuuntur, meræ sunt denominationes, & abstractiones, quibus nullum respondet objectum reale à cæteris distinctum, ut probatum est. Ergo &c.

Hæc igitùr difficultas in sententiâ Dagoumerii aliorumque Scotistarum insuperabilis videtur; meam autem sententiam nedùm impugnet, imò magìs confirmat, quæ de ente & substantia scripsi. Quæ quidem intèr principia consensio, leve non est veritatis argumentum.

Verbò dicam, præsens quæstio tota ex eo solo suspensa videtùr, utrum animorum modi, qui certè vividum sui sensum in animis faciunt, sint positiva quædam animis reipsà superaddita, an verò meræ sint relationes, quales sunt corporum figuræ. Quæ autèm contrà proponuntur difficultates, petuntur ferè omnes ex iis quæ à nemine intelliguntur. Quapropter etiamsi non solverentur, aut explicarentur, non ideò falsa probaretur sententia.

De Numero.

Jàm diximus unum esse id quod in se indivisum est. Sic Petrus est unus homo, quià multos in homines non est in se divisus. Ut res constituatur una, positivum nihil rei superadditur; sed mera intrinsecæ divisionis negatio, si tamèn negatio dici possit superaddita.

Unius ideam acquirimus cùm ex ſenſibus, tùm maximè reflexione in noſmetipſos. Dùm enìm attendimus ad comparationem quam animus ſuas intèr affectiones inſtituit; hoc maximè intelligit eſſe ſe rem unam, in ſe indiviſam, imò & indiviſibilem.

Quæ quidem idea ità ſimplex eſt, inquit Lockius, ut definiri non queat. Quærenti enìm quid ſit numerus millenarius, eum deſcribam ex centenario decies repetito conflari. Si quis autèm quærat quid ſit unum, reponam id eſſe quod non eſt multiplex. Jamverò unum, termino abſtracto, appellatur unitas.

Quæritur jàm utrum unitas ſit numerus; quæ quidem quæſtio tota eſt de nomine. Si enìm numerus id intelligatur, quod reſpondetur quærenti, quota ſit res; unitas dicenda erit numerus. Quoniàm ſi quæratur quota ſit hora, reſpondetur, una. Si quæratur quot ſint hoc in cubiculo homines, reponitur, unus. Tamèn cùm litem de vocibus non moveamus; cuilibet mordicùs contendenti numerum eſſe unitatum multitudinem, id libentèr concedimus.

Itaquè numeri nomine intelligitur vel unitatum multitudo, vel etiàm unitas ſola; imò & unitatis variæ partes, quæ apùd Mathematicos appellantur numeri fracti.

Verùm, ut diximus, unitas non eſt aliquid rebus ſuperadditum; ideòque nec unitatum multitudo.

Igitùr putandum non eſt eò quod numeri alii aliis addantur, alii per alios multiplicentur, dividantur &c. eos eſſe quamdam rerum ſpeciem à rebus cæteris ſejunctam. Numeri quippè ſunt res quælibet quarum ab eſſentiâ abſtrahitur, & quæ tantummodò ut una & una, ut multæ conſiderantur. Ex quo fit ut operationes arithmeticæ ad res quaſlibet, ſivè nummos, ſivè libellas, ſivè pedes extenſionis &c. numerandos adhibeantur.

Quæres 2°. an eſſe decem, centum, mille &c. id ſit quid reale, & à mentis cogitatione independens; an verò operatio mentis res illas enumerantis.

Reſpondeo. Ab omnibus quidèm dicitur quodam in horto, ex. gr. decem, centum, reipsà exiſtere arbores; attamèn ſi res multas, putà homines, à ſe invicèm ſeparatos, præ oculis habeamus, ſingulos & omnes cernimus; quot autèm ſint, neque cognoſcimus, nec dicere poſſumus, niſi eos numeraverimus. Quod, ut opinor, demonſtrat decem, centum, mille &c. ipſam eſſe cogitationem mentis res illas enumerantis.

Et verò ſi decas eſſet aliquid in rebus ipſis, & à cogitatione noſtrâ independens,

vel tota, vel ejus tantùm pars in singulis esset arboribus: neutrum dici potest, ut satìs liquet. Ergo &c.

De Entium oppositione.

Oppositio generatìm est pugna, atque intèr illa intercedit, quarum unum cum altero repugnat. Duplex est, complexa, & simplex. Oppositio complexa, ut aiunt, est propositionum oppositio, de quâ in Logicis disputatur. Oppositio simplex ea est quæ intèr propositionum terminos, vel potiùs intèr res terminis significatas intercedit. Entium autèm oppositio quadruplex apud veteres Philosophos recensetur, contradictoria, contraria, relativa, & privativa.

Ea opponuntur contradictoriè quæ sunt velut ens & nihilum, seu non ens; quorum idcircò unum termino positivo exprimitur, alterum negatione præpositâ, ut homo & non homo.

Ea opponuntur contrariè, quæ per aliquid reale ex utrâque parte sese excludunt; sic rotunditas & quadratura; sic spiritus & corpus. Ea opponuntur relativè, quæ sunt relationes oppositæ, ut paternitas & filiatio.

Ea tandèm opponuntur privativè, quorum unum est privatio, vel negatio alterius; sic lumen & tenebræ, motus &

quies. Cùm autèm oppositio privativa ad contradictoriam, relativa verò ad contrariam, manifestè referatur; duplex tantùm oppositionum genus admittetur, si divisio sit accurata.

Certum est 1°. rem quamlibet, sivè substantialem, sivè modalem, ejusque negationem vel privationem esse opositas; & quidem contradictoriè. Ex quo natum est illud axioma: idem non potest esse simul & non esse.

Certum est 2°. atque apud omnes indubitatum, res quasdam, sivè substantiales, sivè modales, ipsas sese excludere, ideoque esse oppositas. Sic spiritus & materia, sic eorum modificationes; sic amor & odium ejusdem rei; sic figura sphærica & cùbica in eodem simùl corpore. Quæ oppositio contrarià nuncupatur. Quæ enim sic opponuntur, sunt ens & ens; non verò ens, ejusdemque absentia, sivè negatio. Verùm subtilitatum amor hanc movit quæstionem, utrum entia quæ sese mutuò excludunt, vi solâ contradictionis opponantur; adeò ut non intelligatur oppositio, nisi quià unum oppositorum spectatur ut ens, alterumque ut ejusdem prioris entis negatio.

Partem affirmantem tuentur quidam Philosophi, apud quos valent hæc axiomata; *ens non opponitur enti; positivum*

non repugnat positivo. Alii verò negant, atque arbitrantur entia quædam ipsa saltèm quatenùs talia secum esse opposita. Alii pacis amantes putant facili negotio litem componi posse, si fundamentum oppositionis ab ipsâ oppositionis formâ, ut aiunt, cautè secernatur; & dicunt entia quædam quatenùs entia opponi fundamentalitèr; quià formæ quædam positivæ sunt fundamentum, cur entia quædam sese excludant; entia verò quatenùs entia non opponi formalitèr. Quià oppositio ipsa, vel ut aiunt, oppositionis forma in eo consistit, quod unum ens nec sit, nec esse possit alterum, ideoque sit alteriùs negatio; quod est ipsa contradictionis oppositio.

Conciliatorum pace dixerim concordiam esse non posse stabilem, cum uni parti, id omne quod vult conceditur, alteri non conceditur. Quamvis enìm entium oppositio terminis exprimatur negativis, eaque dicamus opposita, quorum unum nec est, nec esse potest alterum, sicque alterius negatio quædam est; tamèn entia secum repugnantia non opponuntur præcisè & tantummodò quia unum est alterius negatio, & per hanc solam negationem, sed per aliquid positivum Exempli gratiâ, tenebræ lumini opponuntur, quies motui, præcisè & solùm, quia te-

nebræ sunt non lumen, quies non motus, & per hanc solam negationem. Cogitatio vero figuræ opponitur, non præcisè & solùm, quia cogitatio est non figura, vel ejus negatio, & per hanc solam negationem, sed per illud ipsum positivum quo cogitatio constituitur, cum illud ipsum sit quod figuram excludit. Quare entia cum entibus aliâ ratione opponuntur, ac negationes cum entibus quorum sunt negationes; sicque vi contrarietatis, non solius contradictionis stat oppositio. Ex quibus fit.

PROPOSITIO.

Entia quædam opponuntur contrariè, seu per aliquid positivum.

Pbr. per illud opponuntur per quod sese excludunt, nec possunt idem ens constituere, vel in eodem ente coexistere. Atqui entia quædam per aliquid positivum sese mutuò excludunt; sic spiritus & materia, sic cogitatio & figura. Nam attributa spiritus &materiæ constitutiva sunt aliquid positivum: atqui ideò res eadem non potest esse spiritus simul & materia, quia eorum attributa constitutiva sese excludunt & mutuò destruunt; ideò cogitatio & figura non possunt in eodem subjecto coexistere; quia positiva cogitationis essentia figuram excludit. Ergo &c.

Dices. Ens non opponitur enti, ut est in

axiomate, nec positivum repugnat positivo. Ergo entia non opponuntur, nisi quia unum est alterius negatio.

N. ans. falsa sunt hæc axiomata. Ex eo enim ducunt originem quod Philosophi multi putaverint ens esse genus supremum in rebus omnibus univocum. Atqui id falsum esse constat, ex iis quæ dicta sunt, ubi de ente disputatum est. Ens enim mera est denominatio rebus omnibus, sive similibus, sive diversis, sive oppositis communis. Ergo &c.

Axiomata de entibus oppositis.

Tria sunt axiomata, quorum usus frequentissimus est; primum. Contraria juxtà se posita elucescunt magis. Sic in tabellis solers umbrarum permixtio colores efficit fulgidiores.

Secundum. Contrariorum contrariæ sunt rationes; ita si virtus mercedem, vitium pœnam meretur.

Tertium. Contraria contrariis curantur. Quod axioma non in corporis solùm, sed etiàm in animi morbis felicitèr adhibetur.

De finito & infinito.

Finitum idem sonat ac habens finem aut limites. Quo autèm pacto efformetur idea finiti; res, inquit Lockius facilè concipitur. Ex. gr. oculis nostris subji-

citur extensio sexquipedalis; singulos pedes enumeramus, moxque ad finem seu ultimum pedem devenimus. Hinc exapedam cognoscimus esse finitam. Sic habetur idea extensionis finitæ, durationis finitæ, &c.

Finitum autem à quibusdam definitur quod in suo genere non est tantum, quantum esse possit. Sic inquiunt, exapeda est finita, quia potest esse extensio major.

Verùm illa definitio non videtur legitima. Etenim 1°. in ente quodam si decèm dumtaxàt perfectiones essent possibiles; tot essent in illo ente perfectiones, quot esse possent. Quis autem illud ens dicere posset infinitum? 2°. In atheorum opinione tanta existit extensio, quanta existere potest. An ideò est infinita? 3°. personæ sanctissimæ Trinitatis sunt numero finitæ; attamèn tot sunt, quot esse possunt, quarta enim persona divina non est possibilis.

Hinc miror definitionem illam à quibusdam tradi Philosophis, qui eam posteâ in systemate Spinosæ impugnant.

Itaque finitum definiatur illud quod habet ultimum aut extremum. Rem enìm omnem & solam cogitamus finitam in quâ ultimum aliquod concipimùs.

Finitum duplici ratione considerari potest, materialitèr, ut loquuntur, & formalitèr.

Finitum materialitèr ſumptum eſt finitum ſpectatum ratione poſitivi quod continet, ex. gr. Exapeda ſpectata ratione ſuæ extenſionis.

Finitum formalitèr ſumptum eſt finitum ſpectatum ratione ipſius finitudinis, ſeu ratione ejus quod rem quatenùs finitam conſtituit. Jam verò res aliqua conſtituitur finita per ultimum, per aliquod extremum. Ultimum autem 1°. dicit aliquid poſitivum; ſic in decade, ultima & decima unitas eſt aliquid poſitivum. 2°. Ultimum adjunctam habet negationem ulterioris alicujus, ſive ulterius illud poſſibile ſit, ſive non, & præcisè, quatenùs eſt ulterius; ideòque abſtrahendo à finito vel infinito.

Imò ſtrictè loquendo, ultimum ideò eſt, & concipitur ultimum, quià in illo hæret, & conſummatur enumeratio. Sæpè enim de ulteriore quolibet nullatenùs cogitatur.

Item finitum vel eſt finitum ſingulare, vel eſt finitum in genere.

Finitum ſingulare ſeu, ut aiunt, finitum in particulari eſt tale vel tale finitum determinatum; ex. gr. domus, arbor, exapeda &c.

Finitum in genere ſeu univerſìm eſt ens quodcumque illud ſit in quo ita unicum aut multa ſunt poſitivà, ſive perfec-

tiones ut sit ultimum aliquod aut extremum.

Infiniti nomen id significat quod fine caret. Ejus idea inquit Lockius in nobis exurgit ex eorum contemplatione, quæ per additionem crescere possunt. Ex. gr. oculis nostris objicitur sesquipedalis extensio; concipimus illi addi posse alteram extensionem per quam duplo major fiat, imò & illam semper augeri posse fine fine: sic in nobis efformatur idea extensionis infinitæ, durationis infinitæ.

Infinitum, inquit Sgravescendius N. 96. aliud Metaphysicum, aliud Mathematicum. Metaphysicis hoc unicum infinitum dicitur quo non datur majus, id est, quod augeri non potest.

Quæ quidèm definitio non videtur legitima; 1°. quià per illam non habetur idea clara infiniti. 2°. Quià si supponatur mundus materialis sphæricus, ut esse vulgò creditur; profectò finitùs est, cum sit undiquè circumscriptus limitibus. Attamèn in Atheorum sententiâ augeri non potest, nec ullum esse corpus majus; cum apud illos creatio sit impossibilis.

Itaquè infinitum Metaphysicum definiatur illud quod non habet ultimum, quod non habet extremum. Non aliâ ratione infinitum quodlibet à nobis concipitur.

Mathematici infinitum vocant omne quod ſuperat finitum, ſeu ſuperat illud quod menſurari aut numeris exprimi poteſt. Rectius diceretur inexhauſtum. Itèm infinitum aliud actuale, aliud potentiale. Infinitum actuale illud eſt quod jam eſt infinitum; infinitum potentiale quod fit infinitum, nec unquam deſinet incrementa ſuſcipere. Talis eſt duratio animorum noſtrorum, quæ nunquàm finem eſt habitura.

Quidam Philoſophi nobiles infinitum illud ſolum appellant, quod eſt totum propriè dictum, ita ut neque pars ſit neque tanquàm pars cogitari poſſit; quo nomine id intelligunt quod in ſuo genere augeri non poteſt; quapropter, inquiunt, ut aliquid infinitum ſit, gradus inexhauſti & ſine fine non requiruntur. Sic inquiunt ſi viginti tantùm ſcientiæ gradus eſſent poſſibiles; qui eos haberet, ſcientiâ infinitus eſſet & ſummus.

Fateor quidèm ſcientiâ ſummus eſſet, cum nullus poſſet eſſe in hâc hypoteſi ſuperior. Verùm dici non poſſet ſcientiâ infinitus magìs, quàm numerus viginti vocari poteſt numerus infinitus. Hactenùs nemo eamdem eſſe totius & infiniti notionem opinatus eſt; cum enim triangulum concipio, quod totum eſt in ſuo genere perfectum; ne ſuſpicor quidèm infinitum,

Jam traditæ finiti & infiniti notiones utiles sunt, & omninò retinendæ. Quæ verò sequuntur quæstiones poterunt sine fortunæ, vèl salutis periculo prætermitti. Tamèn cum eas magni nominis Philosophi suis meditationibus dignas putaverint de his in eorum gratiam disputabo, qui Metaphysicis delectantur.

Itaque 1°. quæritur utrum idea infiniti priùs habeatur qùam idea finiti.

Affirmant Carthesiani; qui sentiunt finitum solius infiniti negationem esse. Nam inquiunt medium nullum est finitum inter & infinitum. Quis autem cogitaverit finitum constitui per negationem finiti? Quare finitum est negatio infiniti. Negationes autèm non in seipsis cognoscuntur, sed per entia quorum ngationes sunt. Idcircò finitum cognoscitur per infinitum. Ex quo sequitur ideam infiniti haberi priùs, quàm finiti.

Fatentur quidèm singularia quædam cognosci finita independentèr ab infinito; nec diffiteri possunt. Experientiâ quippè certum est varia quæ cernuntur corpora cognosci finita, quin ullatenùs de infinito vel cogitetur. At inquiunt, non idem est de finito in genere, quod cum finita complectatur omnia per negationem solius infiniti constituitur. Nam ex omnibus constituitur per negationem ulterioris; verum finitis

finitis omnibus nihil ulterius est nisi infinitum. Ergo finitum in genere per negationem solius infiniti constituitur.

Mirum profectò mihi accidit, cum quosdam video Lockii fideles asseclas in hanc descendere sententiam; quod manifesta contradictio est. Nam si nullæ sint ideæ innatæ, sed primæ ideæ, quæ per sensus & reflexionem in animi nostri affectiones acquiruntur, sint rerum finitarum ideæ. Si idea universalis qualis est idea rei cujuslibet in genere spectatæ, ex singularibus fiat per abstractionem universalis: inde consequitur apertè ideam finiti in genere quemadmodum & ideam finitorum singularium esse ab ideâ infiniti omninò independentem. Quibus prænotatis sit.

PROPOSITIO.

Finitum cognoscitur independentèr ab infinito; ideòque per negationem infiniti non constituitur.

Pbr. experientiâ constat quædam singularia scilicèt corpora cognosci finita, quin ullatenùs de infinito cogitetur. Atqui si finita quædam singularia independentèr ab infinito cognoscantur, idem de finito universìm spectato dicendum: idea enìm finiti generatìm sumpti est idea, quæ ex finitis singularibus fit per abstractionem universalis, seu finitis omnibus commu-

nis. Enim-verò si Exapeda cognoscatur finita quia extremum pedem habet & ultimum; res universìm finita concipitur ea, quæ ultimum aliquid & extremum habet. In quo certè nulla est de infinito cogitatio. Ergo finitum independentèr ab infinito cognoscitur.

Ob. 1°. Finitum per quamdam negationem constituitur: atqui si res ita sit, finitum non cognoscitur nisi per infinitum. Ergo finitum non cognoscitur independentèr ab infinito.

1°. N.maj. nam decas est, concipiturque finita; quià decimam & ultimam habet unitatem. Atqui decima & ultima unitas non est mera negatio, sed aliquid positivum. Ergo finitum non constituitur per meram negationem.

Etverò negatio illa esset negatio ulterioris possibilis vel impossibilis. Atqui neutrum dici potest. 1°. Finitum non constituitur per negationem ulterioris positivi possibilis. Nam si quodam in ente decèm tantùm essent perfectiones possibiles; ens illud esset finitum; nec tamèn ulterior in eo possibilis esset perfectio.

2°. Non constituitur per negationem ulterioris impossibilis. Ipsum enim infinitum ejusmodi negationem habet adjunctam. Et certè finitum non constituitur per illud quod ipsi & infinito commune est. Ergo &c.

Quapropter ultimum ideò concipitur, & est ultimum; quià in illo hæret, & consummatur enumeratio; sæpè namque de ulteriore quolibet ne cogitatur quidèm.

2°. N. mi. nam sive finitum singulare sive finitum in genere, etiamsi adjunctam habeat negationem ulterioris, non ideò cognoscitur per infinitum; ut patet ex dictis.

Ins. Negatio non cognoscitur nisi per ens cujus est negatio: atqui finitum est negatio infiniti. Ergo &c.

N. mi. propter rationes allatas.

Ins. finitum vel est negatio ulterioris infiniti, vel ulterioris finiti. Atqui non est negatio ulterioris finiti. Ergo est negatio infiniti.

1°. N. maj. tum proptèr rationes superiùs allatas; tùm quià etiàmsi finitum per quamdam negationem constitueretur; hæc non esset negatio infiniti vel finiti, sed dumtaxàt negatio ulterioris præcisè quatenùs ulterioris. Cùm enìm hìc agatur de ideâ finiti; profectò res quælibet concipitur finita, quià positiva quædam habet, ultrà quæ nullum est aliud; nec ullatenùs cogitatur, aut attenditur utrùm ulterius infinitum sit an verò finitum, utrùm possibile an impossibile. Ergo &c.

2°. N. mi. numerus enìm quilibet finitus concipitur, quià addi potest unitas.

Rem ita se habere de quolibet numero singulari & determinato, vel ipsi Carthesiani fatentur. Numerus autèm finitus in genere certè non concipitur finitus per negationem infiniti numeri : quippe nulla habetur idea numeri infiniti. Ergo generatìm numerus concipitur finitus per negationem ipsius finiti, scilicèt unitatis. Idem de quolibet finito dicendum. Cujus ratio perspicua hæc est. Numerus quilibet finitus & determinatus sub duplici respectu considerari potest, vel quatenùs capax augmenti recipiendi, vel quatenùs capax sui additione augmenti aliis conferendi. Sub priore respectu finitus concipitur; sub posteriore verò finitus non cogitatur, sed potiùs ejus negatio ad efformandam finiti generatìm sumpti ideam inservire potest. Quare finitum quodlibet tale concipi potest per ipsius finiti negationem.

Probabis mi. Finitum in genere de quo solo agitur, finita omnia complectitur. Atqui ultrà finitum omne, aliud nihil est nisi infinitum. Ergo finitum in genere negatio est ulterioris infiniti.

N. maj. non magìs finitum in genere finita omnia complectitur, & est omne finitum, quàm homo in genere est omnis homo. Non enim confundenda est idea universalis quæ per abstractionem ex singularibus fit universalis, cum ideâ collec-

tivâ, quæ singularia omnia colligit in unum & complectitur. Atqui finitum in genere seu universìm sumptum est idea universalis finiti. Ergo &c.

Ins. alio modo. Finitum non potest constitui per negationem sui ipsius : atqui per negationem sui ipsius constitueretur, si per negationem finiti diceretur constitutus. Ergo &c.

N. mi. unitas enim cujus absentia aut negatio numerum constituit finitum, quamvis in se finita sit, ipsa tamèn non consideratur quatenùs finita, seu quatenùs potest augmentum accipere; sed quatenùs alteri numero potest augmentum conferre. Ergo finitum non per sui ipsius, sed per alterius negationem constituitur.

Dices: ideò finitum non esset negatio infiniti, quia esset negatio ulterioris à finito & infinito abstrahentis; atqui tale non est finitum. Nam si finitum esset negatio ulterioris à finito & infinito abstrahentis, ulteriùs à finito & infinito abstrahens esset negatio finiti. Omnis namque negatio est reciproca. Atqui ulterius à finito & infinito abstrahens non est negatio finiti. Quod enim à finito abstrahit, finitum non negat, aut excludit. Ergo &c.

1°. Solvenda mihi non est hæc objectio. Finitum enim potiùs per ultimum constituitur, quàm per negationem ulte-

rioris, licêt eam negationem adjunctam habeat. Itaquè ad juris abundantiam

2°. N. mi. ad cujus probationem dg. maj. Id est ulterius à finito & infinito abstrahens non esset illud finitum in quo desideraretur ulterius aliquid. C. maj .id est, ulterius à se excluderet & negaret finitudinem. N. maj. solutio satis patet. Si quid autem acuminis in hac objectione aut potiùs cavillatione reperiatur, totum id in verbis residet; mutatisque vocibus & expositis statìm evanescit. Cum enìm dicitur finitum constitui per negationem ulterioris à finito & infinito abstrahentis, significatur rem universìm finitam intelligi, quià concipitur ipsi ulterius quid addi posse, neque ulterius quodcumque illud sit considerari tanquàm finitum aut infinitum. Ex quibus non video qua ratione concludi posset, ulterius ejus generis à se ipso finitudinem excludere aut finitum negare.

Ob. 2°. Si finitum constitueretur per negationem ulterioris non verò per negationem infiniti, sublatâ illâ negatione id est addito ulteriore res finita desineret esse finita, nec tamèn fieret infinita. Atqui illud falsum est. Ergo &c.

N. suppositum majoris propositionis. Supponit enim ulterius sub eâ ratione addi posse, sub quâ ejus negatio & ab-

ſentia rem finitam conſtituit. Atqui id fieri non poteſt. Nam ulterius addi non poteſt, niſi addatur quale reipſa in ſe eſt; id eſt niſi addatur ut finitum aut infinitum. Atqui ulterioris abſentia rem finitam non conſtituit quatenùs ulterius in ſe finitum eſt aut infinitum, ſed præcisè quatenùs eſt ulterius, quatenùs poteſt augmentum conferre; ſicque à mente conſideratur; quæ ideò ab ejus finitudine ſicut & infinitudine abſtrahit. Ergo &c.

Verùm in referendis objectionibus immoror diutius.

Utrum idea infiniti poſitiva ſit an negativa;

Idea omnis vel ratione ſui conſiderari poteſt, vel ratione objecti quod repræſentat. Ratione ſui conſiderata animi modus eſt, qui ſui ipſius conſcientiam generat, eoque ſenſu intellecta idea omnis poſitiva eſt. Si verò ratione objecti ſpectetur, duplici modo poteſt objectum poſitivum exhibere: vel enim repræſentat, quid ſit objectum, quæ ſit ejus conſtitutio & eſſentia; hoc ſenſu dicitur idea poſitiva; ſic triangulum poſitivè dicitur cognoſci, quia cognoſcitur ejus eſſentia nempè figura tribus angulis conſtans, totidèmque lateribus. Vel idea potiùs repræſentat quid non ſit objectum quàm

quid ſit; tuncque dicitur negativa, etiamſi ejus objectum poſitivum ſit. Talis eſt idea, quæ animum repræſentat dumtaxàt tanquàm ſubſtantiam non materialem.

Itaquè cùm quæritur utrùm idea infiniti poſitiva ſit, an negativa; quæſtionis ſenſus eſt, utrùm idea repræſentet infinitum dumtaxàt tanquàm non finitum, id eſt tanquàm ens in quo tot ſunt poſitiva aut perfectiones, ut nulla ſit ultima; an verò illud exhibeat reipsà tanquam infinitum.

Obſervandum etiàm eſt quæſtionem moveri de infinito universìm ſumpto, non autèm de Deo potiùs quàm Eternitate, aut partibus continui, quæ dicuntur numero infinitæ. Aliud autèm eſt Deum poſitivè cognoſci ut Deum, aliud eſt Deum poſitivè cognoſci ut infinitum. Quemadmodum aliud eſt continuum poſitivè cognoſci ut continuum, aliud ejus partes poſitivè repreſentari tanquam infinitas. Deus enim poſitivè cognoſcitur ut Deus, cum repræſentatur ejus attributum conſtitutivum & eſſentiale, licèt non cognoſcantur cœteræ, quæ ex attributo primario ſequuntur, perfectiones. Ut autèm Deus poſitivè cognoſcatur ut infinitus, omnes ejus perfectiones debent repræſentari tanquam infinitæ. His prænotatis.

PROPOSITIO.

Idea infiniti quam habemus negativa eſt, non poſitiva.

Pbr. Idea illa negativa eſt, quæ potiùs repræſentat quid non ſit infinitum quàm quid ſit. Atqui talis eſt idea infiniti quam habemus. Nàm idea illa repræſentat quid non ſit infinitum potiùs quàm quid ſit, quæ illud dumtaxàt exhibet tanquàm non finitum. Atqui talis eſt, quæ nobis affulget, idea infiniti. Nàm finitum, ut diximus, illud eſt, quod ultimum quiddam habet vel extremum. Atqui quæ nobis affulget idea infiniti, hæc nobis infinitum exhibet dumtaxàt ut ens in quo nulla eſt perfectio, nullum poſitivum quod ſit ultimum; ſeu, quod tale ſit, ut in illo abſolvatur enumeratio; non enìm aliâ ratione concipimus partes continui infinitas eſſe, niſi quià nunquàm ad ultimam quamdam partem deveniri poteſt. Ergo &c.

Et verò mens noſtra, utporè quæ limitibus contineatur, habere non poteſt ideam infiniti comprehenſivam. Id tamèn fieri poſſet, ſi idea noſtra infiniti rationem ejus conſtitutivam, ſeu infinitas perfectiones clarè & diſtinctè repræſentaret. Si quid enìm impediret, maximè quià infinitum infinitas alias proprietates ha-

beret, infinitos gradus & relationes. Atqui id non impediret, quominùs idea infiniti posset esse comprehensiva. Si enìm semèl possit infinitas perfectiones distinctè repræsentare, poterit & illarum perfectionum gradus, relationes & proprietates etiàm infinitas exhibere; cur enìm unum infinitum difficiliùs, quàm alterum exhiberetur? Ergo &c.

Verbo dicam, nunquàm possumus numerum infinitum nobis repræsentare: quemlibet enìm numerum cogitemus, concipimus sempèr ei posse unitatem addi, eumque duplicari posse. Ergo &c.

Tandèm si idea infiniti tàm clara videatur & positiva, definiatur aliâ ratione quàm per oppositionem ad finitum, aliâ ratione quàm dicendo infinitum id esse quod fine caret & limitibus.

Obj. 1°. Ideâ infiniti cognóscimus infinitum illud esse quod excludit limites: atqui idea hæc positiva est infiniti idea. Ergo &c.

N. mi. Idea enìm hæc repræsentat infinitum ut non finitum. Ergo est negativa.

Instabis. Idea illa positiva est, quæ nihil nisi positivum exhibet, idque modo positivo repræsentat. Atqui talis est prædicta idea. Ergo &c.

N. mi. Idea enìm illa repræsentat quid non sit infinitum, cùm illud exhibeat ut

non finitum, seu excludens finitudinem. Ergo infinitum modo negativo repræsentat.

Instabis. Idea quæ repræsentat infinitum ut ens omnibus ornatum perfectionibus, illud modo positivo repræsentat. Atqui talis est idea, quâ infinitum cognoscimus illud esse quod limites excludit. Nàm limites sunt negatio vel absentia ulterioris perfectionis; exclusio similitèr est negatio. Quare exclusio limitum est negatio absentiæ omnium perfectionum. Atqui negatio absentiæ est præsentia omnium perfectionum. Qui enìm ab aliquo loco non abest, is in eodem loco præsens sistitur. Verbo dicam, exclusio limitum est negatio omnis negativi; ideòque est omne positivum. Ergo &c.

Distingo maj. Idea quæ repræsentat infinitum ut ens omnibus ornatum perfectionibus; infinitum repræsentat modo positivo, si perfectiones illas numero infinitas esse exhibeat. C. maj. si repræsentet dumtaxàt in illo ente perfectiones existere sine fine, seu non esse numero finitas. N. maj. & sic dg. mi. neg. conseq. Equidèm idea quâ cognoscimus infinitum ens esse quod limites omnes excludat, hoc ipso repræsentat infinitum ut ens omnibus ornatum perfectionibus. Verùm id non sufficit ad ideam infiniti positivam; requi-

ritur insupèr, ut hæc idea perfectiones omnes exhibeat ut numero infinitas. Atqui idea nostra perfectiones numero infinitas non exhibet, cùm nullam habere possimus ideam numeri infiniti. Nàm quemlibet numerum clarè & distinctè concipiamus, eum sempèr finitum nobis exhibemus, in illo sempèr concipimus ultimam unitatem, eumque cogitatione augemus, multiplicamus. Ergo &c.

Quod autèm additur, limites meram esse negationem, perfectionisque ulterioris absentiam, id falsum est, fallitque adversarios. Finitum enìm constituitur per ultimum quid & extremum; quod quidèm, ut diximus, adjunctam habet ulterioris negationem, sed non est mera negatio.

Instabis. Id cognoscitur modo positivo, cujus ratio constitutiva cognoscitur. Atqui idea quæ repræsentat infinitum, ut ens omnibus ornatum perfectionibus, rationem infiniti constitutivam exhibet. Ratio enìm infiniti constitutiva est præsentia omnium perfectionum. Ergo &c.

N. mi. Requiritur enìm insuper ut repræsentet perfectiones omnes esse numero infinitas. Ergo &c.

Quarè ratio infiniti constitutiva non est præcisè collectio vel præsentia omnium perfectionum. Nàm si perfectiones

omnes essent dumtaxàt centum vel mille, profectò idea quæ eas omnes exhiberet, non ideò rationem infiniti constitutivam repræsentaret, ut perspicuum est. Ergo &c.

Ins. Idea quæ exhibet infinitum ut ens omnibus ornatum perfectionibus, nihil nisi positivum in infinito repræsentat. Atqui idea quæ nihil nisi positivum repræsentat, certè positiva est. Ergo &c.

N. mi. Eo enìm sensu nihil nisi positivum exhibet, quod repræsentet esse plures &. plures perfectiones sine fine, ut ad ultimam quamdam perveniri non queat. Atqui illud est objectum positivum exhibere ut non finitum potiùs, quàm ut infinitum. Ergo ideæ hæc non est positiva, saltèm ratione modi quo objectum suum repræsentat; quod solum in controversiam adducitur.

Obj. 2°. Multa positivè cognoscimus, quamvis nullum ens comprehendere possimus. Ergo ex eo quod non possimus infinitum comprehendere, non sequitur ideam infiniti non esse positivam.

Nego consequentiam. Nàm ens aliquod positivè cognoscere, est cognoscere rationem ejus constitutivam seu essentiam. Atqui multarum rerum possumus rationem constitutivam cognoscere, quamvis eas non comprehendamus: si verò rationem infiniti constitutivam cognoscamus, illud

comprehendere possumus. 1°. Cognoscimus rationem circuli constitutivam, putà figuram rotundam, quamvis omnes circuli proprietates nobis non innotescant. 2°. Si cognoscamus rationem infiniti constitutivam, illud comprehendere possumus. Nàm ratio infiniti constitutiva sunt infinitæ perfectiones. Atquè si clarè & distinctè nobis exhibeantur infinitæ numero perfectiones, quidquid est in infinito cognoscere possumus. Si enìm perfectiones infinitas clarè & distinctè cognoscamus, cur earum gradus, vel relationes quamvis infinitas non attingeremus? Ergo &c.

Dices cum Mallebranchio. Idea entis generatìm sumpti, idea perfectionis universìm spectatæ sunt ideæ positivæ. Utraque enim nihil nisi positivum exhibet. Atqui idea entis generatìm sumpti, idea perfectionis universìm spectatæ sunt ideæ infiniti. Ens enìm universìm sumptum, complectitur omne ens; perfectio generatìm spectata perfectiones omnes continet. Ergo &c.

N. mi. 1°. Quià ens universìm sumptum est mera denominatio rebus omnibus sivè diversis, sivè similibus communis, ut jàm dixi. 2°. Quià idea sivè entis universìm sumpti, sivè perfectionis, est ad summum idea abstracta. Quare

idea ejus quod à finito & infinito abstrahit, non est idea infiniti. Atqui ens universìm sumptum, sicut & perfectio à finito & infinito abstrahit, ut vulgò docent Philosophi. Ergo &c.

Ad probationem, n, ans. Ens enìm generatìm sumptum entia omnia non complectitur, ut ex iis patet quæ de universalibus disputata sunt.

Obj tandèm. Si valeret nostra sententia, nè beati quidèm in cœlo Deum ut infinitum cognoscerent: atqui id falsum est. Nàm beati in cœlo Deum vident facie ad faciem, eumque cognoscunt, sicùt & cogniti sunt, ut loquitur Apostolus. Ergo &c.

N. mi. ad cujus probationem distingo ans. Beati in cœlo vident Deum, ut Deus est, C. ans. Ut est infinitus, nego ans. & consequentiam.

Deus videri potest vel ut Deus est, vel ut est infinitus: videtur ut Deus est, cùm aspicitur attributum naturæ divinæ constitutivum, ex quo cæteræ Dei perfectiones & proprietates sequuntur. Videtur ut est infinitus, cùm omnes Dei perfectiones clarè & distinctè cernuntur.

Equidèm beati in cœlo Deum vident ut Deus est, seu intuentur attributum speciale quo natura divina constituitur; verùm non vident Deum ut infinitum,

seu omnes atquè infinitas Dei perfectiones non cognoscunt. Alioquìn tàm perfecta esset eorum cognitio, quàm cognitio divina; nec essent pro variis meritis diversi gradus beatitudinis; cùm omnes divinas perfectiones singuli beati cognoscerent. Quæ quidèm & rationi & fidei adversantur. Ergo &c.

Ex dictis concludi posse videtur præsentem disputationem nòn multùm à quæstione de nomine discrepare. Carthesianis enìm concedimus à nobis concipi perfectiones omnes secum invicèm compossibiles sine limitibus in Deo esse debere; concedimus in duratione infinitâ tot concipi momenta ut nullum sit ultimum; idemque de partibus continui esse dicendum; concedimus in infinito nihil nisi positivum cognosci.

Fateri coguntur Carthesiani nullam in nobis inesse ideam quæ numerum infinitum clarè & distinctè repræsentet. Quemlibet enìm numerum cogitemus, ei posse unitatem addi sempèr concipitur. Quibus positis, idea infiniti qualis nobis affulget, dicenda nè sit positiva, an verò negativa? Ejus generis quæstio litem de vocibus vehementèr redolet.

De causæ effectûsque relatione.

Causa vulgò definitur principium vi

cujus res eſt; quæ definitio, inquit Joannes Clericus, Ontol. ç. 9. parùm erat neceſſaria; quandoquidèm vox principium non eſt clarior voce cauſæ, quâ ſolo uſu ſatìs notum eſt deſignari id quo fit, ut aliquid ſit.

Philoſophi Chriſtiani illud aſſignant diſcrimen intèr cauſam & principium, quod cauſa influat eſſe in aliud ſubſtantivè, id eſt in naturam reipsà diſtinctam aut diverſam; principium verò influat eſſe in alium, id eſt in perſonam diſtinctam, non verò in naturam diverſam aut diſtinctam. Quare in divinis Pater eſt principium Filii, non verò cauſa. Cùm igitùr Græci Patrem æternum cauſam Filii ſui dixerunt, non accipiebant cauſam pro eo quod influit eſſe in aliud ſubſtantivè, id eſt in aliam ſubſtantiam, ut probant Theologi; ſed cauſam volunt id omne quod dat eſſe alteri, abſtrahendo utrùm illud ſit aliud ſubſtantivè, an aliud adjectivè tantùm, id eſt alia perſona. Sicque diſcrimen eorum à Latinis eſt tantùm penès voces & nomina. Quod, inquit Dagoumerius, diligentèr obſervandum eſt patrum ut placita intelligantur. Enimverò authores primorum ſæculorum voces uſurpabant ſibi proprias, & diverſas à noſtris, ut frequentiùs videre eſt apud Tertullianum, dùm agit de myſ-

terio sanctissimæ Trinitatis, quibus tamèn ea significare contendebant, quæ aliis vocibus à nobis significantur. Hoc intelligant nonnulli, qui memoriâ Scholasticorum vocibus gravatâ accedunt imparati ad legendos Patres, & indè putant eos aliud sensisse, quià voces alias assumpserunt. Hactenùs Dagoumerius, & præclarè quidèm.

Hoc autèm prænotato causam intèr & principium discrimine expendendum nunc est, quo pacto ideam causæ & effectûs acquiramus; quod sic explicant Lockius & Sgravescendius.

Cùm attendimus ad constantem rerum vicissitudinem, non possumus quìn multa cernamus quæ initium habent, alteriusque cujusdam entis operatione existentiam accipiunt. Hinc idea causæ & effectûs.

Causa latè sumpta, est illud omne quod ad rei productionem concurrit & inservit; quo sensu occasiones, instrumenta, conditiones, exemplar, finis causæ nomine donantur.

Causa strictè & propriè dicta, quæ est causa efficiens, illud est quod rem de non existente facit existentem, eique dat existentiam. Effectus verò id quod existentiam accipit.

Quod autèm causam movet, eamque

determinat, ut aliquid efficiat; id secundùm communem hominum æstimationem, effectui confert existentiam, ideòque appellatur *causa moralis*. Preces, jussa, adhortationes, promissa, minæ, præmia, variique fines quos agens sibi proponere potest, hæc omnia totidèm sunt causæ morales.

In primis animadvertendum est in quo discrepent causa efficiens, moralis, occasionalis, & conditio *sine quâ non*.

Causa efficiens rem de non existente facit existentem. Causa moralis effectum non producit, rem non efficit; sed causam movet & determinat, ut agat, effectumque producat. Causa occasionalis neque effectum producit, neque movet, aut determinat causam efficientem ad agendum; sed illud est cujus interventu causa efficiens se ipsa determinat ad operandum. Sic, inquiunt, causarum occasionalium patroni, cùm corpus in alterum incurrit, percussione & impulsione motum in altero corpore non efficit, nihilque præ se fert hæc impulsio quod Deum movere possit, & determinare ut agat. Sed Deus consequentèr ad legem à se conditam impulsionis interventu, se suoque nutu ipse determinat ad motum in corpore percusso efficiendum. Quapropter occasiones ideò tantùm causæ

nomen sortitæ sunt, quod, si sensibus fides adhibeatur, idem præstant, ac si reverà essent causæ efficientes, ut patet impulsionis exemplo. Conditio *sine quâ non* aliquid fieret, neque causa efficiens est, neque moralis, nec occasio, sed tantùm remotio eorum quæ impedirent quominùs causa efficiens ageret. Sic ligni siccitas removet tantùm impedimenta ad combustionem.

Quinque vulgò numerantur causæ; efficiens, finalis, materialis, formalis, exemplaris. De causâ efficiente jàm dictum est. Causa finalis est finis quem agens intèr operandum sibi proponit. Sic artifex famam, aut quæstum intendit.

Causa materialis est ipsa materia ex quâ res componitur. Sic marmor, ex. gr. dicitur causa materialis ex quâ componitur statua.

Causa formalis est ipsa rei forma; talis est forma hominis, quam marmor ex artificis accipit industriâ.

Causa exemplaris est exemplar quod ad imitandum sibi proponit operans.

Finis est causa moralis, ut patet ex dictis. Materia & forma sunt ipsum effectum non verò causæ; exemplar inservit quidèm ad effectûs productionem; rem autèm neque efficit, neque causam efficientem ad agendum movet, ipsam

intèr operandum dirigit extrinsecùs.

Causa alia dicitur causa per se, alia per accidens.

Causa per se ea est quæ producit effectum quod intendit, si sit intelligens, aut cui comparata est & destinata, si sit intelligentiâ destituta. Eo sensu Pictor est causa tabellæ quam pingit; Sol calore suo est causa vegetationis.

Causa per accidens ea est quæ prætèr voluntatem aut naturæ destinationem agit; ut si quis medicamento extrà tempus propinato, ægrotum interficiat.

Multas alias causarum divisiones unâ serie recenset Clericus, scilicèt causam totalem & partialem, principalem & instrumentalem, mediatam & immediatam, subordinantem & subordinatam, primam & secundam, universalem & particularem; addunt alii parallelas & dependentes, immanentem & transeuntem, univocam & æquivocam; verùm inutile prorsùs ea explicare quæ de his omnibus traduntur, cùm satìs per se obvia sint & de quibusdam recurrat alter dicendi locus.

Causa efficiens quæ per oppositionem ad causam moralem, appellatur causa physica, spectari potest vel materialitèr, ut loquuntur, vel formalitèr. Spectatur materialitèr cùm consideratur quatenùs

est tale ens, ex. gr. animus humanus; sumitur formalitèr ut causa, cùm spectatur quatenùs vi quâdam pollet & efficientiâ quâ effectum producit. Exempli gratiâ, cùm animus spectatur ut voluntate præditus, quâ producere potest amores.

Causæ Physicæ nomen iis omnibus tributum est, quæ effectum quemdam è sinu suo effundunt; quæ omnia vulgo putantur causæ efficientes, eo quod sensuum testimonio videantur iis effectibus existentiam conferre. Sic mater videtur filium, quem gignit, efficere; sic terra plantas, sic arbor folia, flores, fructus. Tamèn mater nec materiam fœtus, nec ejus corporis varias partes efficit; nec easdem disponit eâ ratione quæ ad corpus sive humanum sive belluinum effingendum necessaria est. Quapropter ejus generis causæ Physicæ sunt meræ occasiones. Ex iis tamèn apud veteres Philosophos natum est illud de causâ efficiente axioma; *causa debet effectum suum continere*. Quod profectò ad examen revocandum est.

Vix opus est monere, inquit Clericus, unicuique causæ suum ex adverso effectum respondere; ac proindè quot causarum, totidèm effectuum genera posse distingui; cum hæc duo sint correlata. Effectus respectu causæ materialis compositum vocatur, respectu causæ efficientis effec-

tûs nomen retinet, respectu causæ finalis medium nuncupatur.

Finis prior est in intentione, posterior in executione; è contrà medium; id est finis prius intenditur; cum proptèr ipsum assequendum media eligantur. Medium verò prius est in executione; cum ejus ope finis obtineatur.

Axiomata.

Postquam varia causarum genera recensuimus, superest, inquit Joannes Clericus, ut axiomata quædam circa causas efficientes hìc exponamus.

Primum. *Causa effectu suo prior est.* Quatuor autem modis aliquid altero prius vulgò dicitur, tempore scilicet, naturâ, ordine, & honore.

Illud tempore prius dicitur, quod reali quodam temporis intervallo prius extitit, quàm alterum; sic David priùs extitit quam Salomon.

Illud naturâ aut ordine prius dicitur, cujus natura aut ordo quamdam exigit prioritatem; sic attributum rei constitutivum naturâ suâ & ordine priùs est quàm proprietates, quæ ex ipso dimanare concipiuntur.

Ordo quandòque postulat, ut unum reali tempore alterum antecedat. Sic in oratione ordo postulat ut exordium tempore prius proponatur, quàm narratio.

Id verò honore prius dicitur quod est altero præstantius, cui honor debetur major, aut cujus dignitas est excellentior. Sic Imperator honore milites antecellit.

His prioritatibus altera est addenda quæ rationis prioritas appellatur. Id autem altero prius est prioritate rationis; quod momento quodam prius alterâ re concipitur, etiamsi tempore prius reipsâ non existat.

Jamvero causa materialitèr sumpta sæpè tempore prior est quam effectus; sic in generationibus pater spectatus ut homo tempore prior est filio suo. Causa verò spectata formalitèr ut causa tempore non est effectu suo prior. Sic pater ut pater non est filio prior. Sunt enim duo correlata, quorum unum sine altero concipi non potest.

Causa potest non esse tempore prior quam effectus, si nempè statim agat atque existit. Verùm etiàm tùm causa sæpè effectu prior est prioritate rationis; quià cum effectus ex actione causæ sequatur, secundùm nostrum concipiendi modum datur vel potiùs cogitatur instans, in quo causa concipitur existere, effectus verò non concipitur existere.

Attamèn si causa vel principium necessariò agat; tùm causa non est effectu suo prior, etiàm prioritate rationis. Quia tùm effectus

effectus quoddam est proprietatis genus; id autèm ex quo fluit proprietas, non est proprietate suâ prius etiàm prioritate rationis. Sic ex eo quod divisibilitas sit extensionis realis proprietas, nullum est reipsà, aut cogitari potest momentum, in quo extensio realis existat, ejus divisibilitas, ut sic loquar, non existat, seu extensio non sit divisibilis.

Quod maximam attentionem meretur cùm propter varios casus, tùm maximè propter sanctissimæ Trinitatis mysterium in quo pater licet filii principium sit, tamèn nullum momentum cogitari potest, in quo Pater existat, Filius verò non existat. Filius enim necessariò gignitur.

Quare cum principium vel causa necessariò agit, potest non esse prior nisi ordine, & naturâ.

Secundum axioma. Quod est causa causæ est & causa causati.

Explicatur. Sensus axiomatis est rem, quæ effectum quemdam producit, ipsam esse causam ejus quod ex effectu necessariò sequitur. Quod liquet.

Consectaria.

Ex dictis sequitur 1°. ens aliquod esse non posse sui ipsius causam. Nam causa suo effectu prior est. Ergo si res quædam esset sui ipsius causa, prius & posterius se ipsâ existeret; quod est absurdum.

Sequitur 2°. duo entia esse non posse sibi mutuò causam. Si enim sese mutuò efficerent, essent seipsis priora simùl & posteriora, existerent antèquam existerent. Quod etiàm absurdum est.

Sequitur 3°. tria entia esse non posse sibi mutuò causas. Tria enim hæc entia designentur per litteras *A*, *B*, *C*. Si tria hæc entia esse possent sibi invicèm causæ, ens *A* ex. gr. produceret ens *B*, ens verò *B* efficeret ens *C*; & insupèr ens *A* per ens *B*, aut *C* ipsum efficeretur. Atqui hoc fieri non potest: alioquìn tùm duo entia essent sibi invicèm causæ, quod absurdum esse jam ostendi.

Hinc tandèm quantacumque supponatur causarum series, quædam necessariò esse debet prima causa, quæ ab altero ejusdem seriei ente producta non fuerit. Alioquìn duo entia sibi invicèm causæ esse possent. Quod repugnat.

Axioma tertium. Ex nihilo nihil fit. Illud axioma multis sensibus verum est, aliis falsum. Itaquè explicatur.

Ex nihilo nihil fit, si hoc sensu intelligatur, quod nihilum non possit esse ullius rei positivæ causa efficiens, aut materia; id ità perspicuum est & omnibus obvium, ut probatione non indigeat. Nulla enim potest esse nihili vis, efficientia, vel proprietas positiva. Alioquìn esset

nihilum simùl & res positiva, quæ maximè repugnant & opponuntur.

Hinc 1°. quod idem significat, nullus potest effectus esse sine causâ. Alioquin ex nihilo aliquid fieret.

Hinc 2°. nullus potest esse effectus à casu, fortunâ, fato. Hæc enim vana sunt sine re nomina, & proinde nihila. Nihilum autèm non potest esse ullius rei positivæ causa.

Hinc 3°. quidquid initium habet, idem causam habet positivam. Nam effici est transire à non esse ad esse. Quidquid autem initium habet, illud transit à non esse ad esse. Ergo causam habet positivam. Alioquìn sui ipsius esset causa; quod repugnat.

Hinc 4°. quidquid initium habet, illud est contingens. Ens enim necessarium, cùm non possit non existere, æternum est, nec potest initium habere.

Prædictum autèm axioma, *ex nihilo nihil fit*, eo sensu intellectum, quod res nulla de non existente possit fieri existens, ut opinantur Athei, omninò falsum est, & experientiæ quotidianæ adversatur. Nam sensu intimo certum est, quod est certitudo Metaphysica, omniumque maxima, singulis fermè momentis varios in animis nostris amores nasci, variasque affectiones antèa non existentes; quæ cùm

sensum sui faciant & quidem vividum; entia quædam sunt positiva.

Constat insupèr corpora hominumque animos esse entia contingentia, quæ ideò de non existentibus facta fuerint existentia, quod aliquandò demonstrabitur.

Axioma quartum. Causa effectum suum continet.

Quod axioma ut intelligatur, triplex distinguenda ratio, quâ res potest aliquid continere, formalitèr, eminentèr, & virtualitèr.

Res dicitur aliquid continere formalitèr, quæ illud continet secundùm formam propriam aut naturam. Sic ovis agnum quem gignit, formalitèr continet. Res aliquid continet eminentèr, cùm illud præstantiori quodam modo continet; sic nummus aureus dicitur teruntium eminentèr continere. Res aliquid continet virtualitèr, cum illius producendi virtutem habet & potestatem.

Prædictum axioma ex generationibus, causisque corporeis quæ videntur efficientes, primam duxit originem. Cùm enim mater filium, qualis est in suâ hominis formâ, è sinu effundat; cum corpus quod alterum impulsione movet, motum formalitèr contineat; hinc natum est illud axioma, *causa debet effectum suum continere.* Verum in creatione mundi res alitèr se

habet. Deus enim formalitèr non continet corpora, quæ creat. Indè Philosophi christiani idem servantes axioma alii dixerunt causam debere effectum suum continere formalitèr aut *eminentèr*. Deus, inquiunt, corpora non continet formalitèr; cum sit purus, simplexque spiritus ab omni compositione corporeâ essentialitèr sejunctus; sed ea continet modo quodam eminentiore. Ex quo factum est, ut Mallebranchius extensionem in Deo excogitaverit, quàm vocat intelligibilem, & quæ à nemine intelligitur. Quemadmodum intelligi non potest quid sit corpora eminentèr in Deo contineri. Alii dixerunt sufficere, ut causa effectum suum virtualitèr contineat. Quod idem est ac si diceretur necessarium non esse, ut causa effectum suum contineat. Nam continere virtualitèr est virtutem habere & potestatem effectûs producendi. Id autem non significat effectum debere in causâ ullatenus contineri.

3. Quam quidèm sententiam libentèr amplector, & apertè contendo necessarium non esse ut causa, eaque maximè quæ per voluntatem agit, estque omnipotens, effectum suum contineat. Ut enim hæc causa quemdam effectum producat, satis est ut effectus sit in se possibilis. Voluntas quippè omnipotens hoc ipso intelligitur

efficere posse quidquid in se ipso est reipsâ possibile.

Axioma quintum. Nemo dat quod non habet. Hoc autem axioma eodem sensu intelligitur ac proximè superius.

Author actionis Dei in creaturas primùm probat amores nostros cœterasque mentis affectiones totidèm esse entia realia, & positiva, quibus, inquit, ens animi augetur; animus enim amore Dei affectus perfectior est, quàm eodem amore destitutus. Perfectio omnis ab ente inseparabilis est. Quare amor ille non est merum nihil, sed ens reale animo superadditum. Quibus suppositis capite 3°. istud principium ponit.

Non datur quod non habetur.

COROLLARIUM.

Ergo non datur plus quam habetur.

Alterum Corollarium.

Ens creatum si solum & sine alterius auxilio suum ens augeret, plus sibi daret quam haberet.

Nam ad hoc oporteret ut cum ex. gr. quatuor tantùm gradibus entis in instanti *A* fuisset prædictum; efficeret tamèn & quidèm solum, ut in instanti *B* quinque gradus entis haberet. Atqui si res ita esset, sibi plus daret quam haberet. Nam

unum entis gradum sibi daret, quem non habebat. Ergo &c.

THEOREMA.

Intelligentia creata nunquàm amoris actum aut modalitatem quamlibet sola sibi datura est.

Demonstratur. Nam res creata suum ens sola nunquàm augebit; ut jàm demonstratum est. Ergo &c.

Et verò qui minus habet, cum eo solo quod habet, non facit plus. Causa enim debet effectum suum continere. Si sola effectum suum producat, debet eum totalitèr continere & perfectè, debet totum effectûs ens, totamque perfectionem continere, debet esse tam perfecta, tantùmque entis habere ante effectûs productionem, quàm post ejus productionem.

Atqui habere simplicitèr potentiam amandi Dei, quin verè & reipsà ametur, illud minus est, quàm habere potentiam amandi, & insupèr amare. Alioquin infans qui cum potentiâ amandi Dei nascitur; tantùm perfectionis, bonitatis, & consequenter entis haberet, quàm justus omnium perfectissimus; alioquin actus amoris Dei potentiæ amandi nudæ & simplici nihil adderent. Ergo &c.

Hactenùs prædictus author qui iisdem ratiociniis utitur, ut probet animum nos-

trum suas determinationes solum & sine auxilio Dei nunquàm producturum esse ; ex quibus concludit admittendam esse præmotionem Dei Physicam ad omnes hominum actiones omninò necessariam.

Præmotionis quidèm Physicæ necessitatem propugnant cœteri Thomistæ, sed eam asserunt necessariam proptèr supremum Dei in creaturarum actiones etiàm liberas dominium, propter præscientiæ divinæ infallibilitatem, non verò ex eo quod animus numquàm solus actum voluntatis efficeret ; etiamsi nullum supponeretur Dei dominium, præscientia nulla. Ideòque rejecienda mihi videtur prædicti authoris sententia, quæ animorum nostrorum activitatem sensu intimo proindèque Metaphysicè certam evertit penitùs & destruit. Quod sic ostendo.

1°. Non datur quod non habetur ; non plus datur, quàm habetur ; qui minus habet non facit plus.

Propositiones illæ quibus author prædictus innititur, non possunt dici essentialitèr veræ, quin istæ quæ necessariò sequuntur, sint certissimæ ; non *potest* dari quod non habetur, non *potest* plus dari quàm habetur, qui minùs habet cum eo solo quod habet, non *potest* facere plus. Atqui animus humanus si modalitatem quamdam, si amoris actum, quem nondùm

habet, posset efficere; posset sibi dare quod non habet, cum in momento *A* quatuòr tantùm gradibus entis esset prædictum, efficere posset, ut in instanti *B* quinque gradus entis haberet; sicque posset plus sibi dare, quàm haberet. Ergo animus nullam affectionem suam, nullum amorem efficere potest; proindeque activitatis omnis expers esset animus.

Imò nec posset animus auxilio Dei adjutus amoris actum efficere. Nam Deus omnipotentiâ suâ facere non potest ut quod essentialitèr verum est, id falsum sit. Rerum enim essentias mutare non quit. Atqui essentias rerum mutaret, si faceret ut animus, quem non habet amorem, sibi daret. Essentia quippè rerum postulat, ut non detur quod non habetur, ut plus non detur, quàm habetur. Ergo &c.

Et verò neque animus, neque quatuòr gradus entis qui in animo supponuntur, quintum entis gradum continent. Ergo neque animus, neque quatuor priores entis gradus quintum dabunt; nisi Deus hunc quintum entis gradum solus efficiat. Ideòque nulla est in animo activitas.

Dices cum eodem authore. Cogitandum non est actionem aliquam ex.gr. amorem à Deo solo poni in animo, quemadmodum posita est agendi facultas; sed facit Deus

ut animus ipſe agat. Facit enim ut gradus entis, antè in animo exiſtentes, quàm actus amoris producatur, ſeſe extendant, dilatent, evolvant; ſicque novus efformetur actus amoris. Ergo non deſtruitur animorum activitas.

Hæc, fateor, à me non intelliguntur. Corpora quidèm extenduntur, dilatantur, evolvuntur; hâcque evolutione in iis cernuntur figuræ, quæ anteà exiſtebant ſub partibus deliteſcentes. Verùm cogitari non poteſt quid ſit animos extendi, dilatari, evolvi; cum omninò ſint partium expertes. Quàlibet etiam ſuppoſitâ animi evolutione non poteſt vel ipſe Deus ex illo educere, quod in eo non continebatur. Atqui novus qui producitur amoris actus, anteà in animo non erat, non continebatur. Ergo &c.

Cætera mitto, quæ addidit prædictus author, ut videatur animorum activitatem è medio non tollere. Verba enim ſunt magnificè quandòque reſonantia, ſed ſenſu vacua, aut à corporibus ad animos tranſlata; quæ non niſi fictione mentis & errore concipi poſſunt. Quid enim ſibi vult cum dicit actum amoris, quem Deus non per ſe ipſum ſolum, ſed per gradus entis anteà in animo exiſtentes producit, eſſe amoris amorem.

De potentiâ.

Potentia idem sonat universìm atque capacitas ad aliquid. Quî autem in nobis efformetur potentiæ idea, sic cum Lockio explicat Joannes Clericus.

Observantes quotidie cùm in rebus quæ extrà nos sunt, tùm in nobis ipsis, multa immutari; indè colligimus in iisdem objectis eodem modo in posterùm evenire posse mutationes quasdam; & nos, quod nunc facimus, posthàc facturos, ut quotiescùmque voluerimus certas contemplari ideas, aut volitiones edere, id facere possimus. Ità quoniàm sæpè vidimus plumbum igni injectum liquefieri, hinc igni facultatem liquefaciendi plumbi, plumbo verò liquidi evadendi potentiam inesse didicimus.

Indidèm duplicis potentiæ ideam mihi obversari sentio, passivæ nempe & activæ. Passiva est in plumbo potentia liquidi evadendi; igni videtur inesse activa liquefaciendi potentia. Quamquam hac de re magnæ sunt dubitandi rationes. At certè ex animi nostri actionibus facultatis activæ ideam colligimus. Sentimus enim nos ab alio non agi, neque impelli ad volendum.

Atque hæc Joannes Clericus; quibus addit Lockius ex reflexione in nos metipsos

claram potentiæ activæ, distinctamque ideam maximè comparari, imperfectam verò & obscuram ex corporibus. Cum enim volumus aut amamus, agere nos sentimus, ejusque mutationis initium à nobis omninò pendere.

Corpus quiescens, nullam potentiæ quæ motum efficere valeat, ideam suppeditat; & cùm ipsum movetur, motus ille potiùs est in corpore passio, quàm actio, non secùs ac figura quæ ex motu nascitur. Cum enìm globus eburneus impulsioni cedit baculi, id simplex est passio ex parte globi, non actio. Itèm cum globus ille alterum pellit obvium, eumque movet; ei solùmmodo motum communicat, quem acceperat; tantùmque motus amittit, quantùm acquirit alterum; quod nonnisi obscuram potentiæ activæ movendi, quæ sit in corpore, ideam nobis suppeditat; quoniàm hoc in casu aliud nihil videmus nisi corpus quod transfert motum, nec eum ullatenùs producit. Hactenùs Lockius,

Itaquè potentia duplex est, altera activa, altera passiva. Potentia activa est potentia aliquid agendi, quæ aliis nominibus vis, facultas, activitas appellatur. Talis est in animo nostro facultas amoris producendi. Potentia passiva est potentia aliquid recipiendi; talis in animo

nostro potentia recipiendæ sensationis. Hæc autèm potentia non est ens aliquod positivum animi essentiæ superadditum; animus enìm per se ipsum concipitur idoneus ad recipiendam sensationem; quemadmodùm & corpus per illud ipsum quod est extensum, non verò per aliquid positivum ab ipso distinctum concipitur habere potentiam motûs recipiendi.

Iterùm potentia vel completa est, vel incompleta; potentia completa ea dicitur quæ omnibus ad agendum prærequisitis est instructa. Incompleta verò, si quid ad agendum desideretur. Ab his non multùm abludunt potentia proxima & remota.

Potentia dividitur etiàm in naturalem & supernaturalem. Naturalis est potentia aliquid agendi aut recipiendi quod non superat naturæ vires. Talis est in animo potentia producendi amoris aut recipiendæ sensationis. Potentia supernaturalis est potentia aliquid agendi aut recipiendi quod naturæ vires superet. Talis est potestas patrandi miraculi. Hæc potentia dicitur obedientialis, quià per illam animus noster obedit Deo moventi, ipsique subjicitur.

Ad recipiendum aliquid supernaturale nullum requiritur complementum potentiæ aut auxilium supernaturale; alio-

quìn admittendus esset progressus in infinitum; requiritur verò ad aliquid supernaturale producendum: cùm id quod agendum est vires naturæ excedat.

Universìm quod esse potest, & nondùm est; id in potentiâ esse dicitur. Quod autèm reipsà existit, id in actu esse nuncupatur.

Actuale de substantiis non secùs ac de modis prædicatur, relationemque ad tempus præsens includit.

De Actu.

Actus generatìm definitur potentiæ complementum. Quæ quidèm definitio cùm ex eo posset esse æquivoca, quod omnia ad agendum requisita dicantur potentiæ complementum; ideò actus rectiùs diceretur potentiæ activæ exercitium.

Observandum est apud Metaphysicos actum stricto sensu non dici nisi de modificationibus, quas spiritus per facultatem activam intrà se producit. Sic amor, odium &c. dicuntur actus voluntatis, actus animi; sensatio verò non appellatur actus.

Quamvìs potentia & actus distincta sint, inquit Clericus, tamèn arcto nexu sibi invicèm cohærent, ut alterum succedat alteri. Atquè hinc fortasè factum est, ut Metaphysici eorum miscuerint nomina.

Quarè veteres Philosophi actum dividunt in primum & secundum, in actum signatum & actum exercitum.

Nomine actûs primi vel signati ipsam potentiam intelligunt. Sic Petrus dicitur ratiocinari in actu primo, vel signato, quià potentiam habet ratiocinandi.

Actus secundus vel exercitus, est potentiæ exercitium & operatio. Aliquandò apud ipsos actus primus rei essentiam aut existentiam significat, actus verò secundùs operationem. Sic gratia in actu primo considerata est ipsa in se spectata; gratia verò in actu secundo est gratiæ effectus.

Itèm actum dividunt in physicum & metaphysicum. Actus physicus, inquiunt, is est qui potest separatìm à potentiâ existere. Sic animus ab ipsis appellatur actus respectu corporis humani, quià hominem informat. Nec illud nomen impedit, quominùs animum esse propugnent substantiam à corpore essentialitèr diversam. Actum metaphysicum eum appellavere, qui non potest existere separatìm à subjecto; talis est amor.

Actum etiàm distinxerunt in actum sui, id est actum subsistentem, & actum alterius: actum subsistentem dixerunt vel impurum, ut hominem, vel purum ut Angelum, vel purissimum ut Deum.

Verùm prædictæ divisiones omninò absurdæ sunt, multorumque errorum fontes. Ab illis proindè abstinendum. Res enìm substantialis & actus, sicut potentia activa & actus sunt quâdam ratione opposita.

Cùm animus amorem producit, tria concipiuntur, voluntas quæ est facultas activa, amor qui ejus facultatis est effectus, & actio quâ amorem producit. Agit enìm ad amorem efficiendum.

Quæritur an actio hæc sit modificatio ab ipsâ voluntate & amore distincta; & veluti intèr utrumque media.

Pater *Buffier* Jesuita, in libro qui inscribitur, *Principes du raisonnement*, & author articuli *Agir*, in Dictionario Encyclico, qui dicta Patris *Buffier* sequitur, & exscribit, postquàm pro more suo laudavit Philosophos qui definitionis loco unam tantummodò vocem pro alterâ tradunt, etiàm obscuram, & quæ status quæstionis est, quorum nullus, inquit, nèc Lockius quidèm, quid sit *agere*, exposuit. Sic pergit: *Pour résultat des discussions précédentes, disons ce que l'on peut répondre d'intelligible à la question. Qu'est-ce qu'*agir? *Je dis que par rapport aux créatures,* » agir *est en général, la disposition d'un être, en tant que par son entremise il arrive actuellement quelque*

changement. Quam definitionem legitimam esse sic probat : *Car il est impossible de concevoir qu'il arrive naturellement du changement dans la nature, que ce ne soit par un être qui agisse, & nul être créé n'agit qu'il n'arrive du changement ou dans lui-même ou au dehors.* Quod ut confirmet, asserit ipsum instrumentum reipsà agere.

En exquisitum Metaphysicæ fragmentum, quod Authores Encyclici polliciti fuerant, ut ex eo judicari possetquàm facilè sint Metaphysicorum principes, imò soli Germanæ Metaphysicæ periti, cùm cæteri Philosophi perpetuis abstractionibus deludantur.

Ego verò fateor hæc à me minùs intelligi quàm definitionem vulgò traditam, & ab Authore Encyclico spretam, quâ dicitur, agere est exercere facultatem activam, vel est effectum aliquem producere. Imò si quid boni sit in definitione quam tradit prædictus Author, id in vulgari definitione reperitur. Nàm effectum producere est facere, ut aliquid transeat à non esse ad esse; proindèque est esse mutationis causam.

2°. Generatìm definiendum esset quid sit agere, non respectu creaturarum modò, sed respectu Dei; non naturalitèr solùm, sed etiàm supernaturalitèr; quòd

Author non suscipit explicandum.

3°. Vox illa *dispositio* quæ tamèn præcipua est in definitione, profectò explicatione indiget; cùm sit terminus vagus, quo nulla idea clara & distincta suppeditatur.

4°. Ea dispositio, vel id cujus interventu quædam mutatio contingit, potest esse vel finis, vel occasio, quæ certè propriè loquendo non agunt, cùm non sint causæ strictè dictæ.

5°. Instrumentum non agit, sed agitur, sed eo intèr operandum agens utitur. Ejus tamèn interventu contingit mutatio.

Tandèm ut cætera prætermittam, ratio quam Author adducit, inepta ex eo videtur quod propositam quæstionem & explicationem vocis *agere*, ne attingat quidèm. Etiamsi enìm concipi non possit mutationem in naturâ contingere, quin ea per aliquod agens eveniat, id certè non explicat; quid sit agere. Nec probat *agere* esse dispositionem cujus interventu quædam in rerum naturâ mutatio evenit.

Itaquè ad propositam quæstionem respondeo actionem non esse modificationem quamdam mediam intèr causam agentem & effectum, intèr voluntatem & amorem productum. Alioquìn admittendus esset progressus in infinitum. Etenìm

modificatio hæc media voluntatem intèr & amorem, ipsa esset actus; & proindè ut illam mens produceret, deberet agere, deberet igitur dari altera actio media intèr voluntatem & illam modificationem, sicque in infinitum. Ergo admittendus esset progressus in infinitum. Quare voluntatis actio est ipse amor, qui est actus, & effectus voluntatis.

Observandum est spiritum posse vel intrà se agere, vel extrà se. Si intrà se agat, effectus illius est modificatio quædam intrinseca: ex. gr. amor; tùmque voluntas immediatè effectum illum producit. Si verò aliquid extrà se operetur; tùm voluntas primùm volitionem efficit, quâ mediante effectus extrinsecùs producitur; ideòque ipsa volitio est agens immediatum respectu talis effectûs. Sic volitio divina est agens immediatum quo Deus hominem creat. Actio autèm illius volitionis non est aliquid positivum & reale; quod medium sit aut concipiatur volitionem divinam intèr & hominem creatum. Hinc patet actionem nunquàm esse aliquid reale medium intèr agens & effectum. Proindèque frustrà conaremur, quid in se sit concipere, cùm nihil sit.

Hinc mirum mihi accidit quod Authores Encyclici in idem vitium delapsi sint, quod cæteris non sine ostentatione expro-

brant Philosophis. Illis enim quoad possunt contemptum ex eo conciliant quod de vocibus disputent, & abstractionibus mentis objecta realia assignent.

AXIOMATA.

Primùm. Ab actu ad posse valet consecutio; sed non vice versâ. Sensus axiomatis est, ex eo quod aliquid sit, sequitur id esse posse; sed ex eo quod aliquid esse possit, id reipsà esse immeritò concluderetur. Quæ duo perspicua sunt & aperta.

Secundum. Posito possibili in actu, nihil sequitur absurdi. Sensus axiomatis est, si quod esse potest, supponatur existere; hâc in suppositione nihil esse absurdi. Quod quidèm in dubium revocari non potest, dummodò 1°. res possibilis supponatur existens eâ ratione quâ possibilis est. 2°. Cùm res possibilis supponitur existens, non fiat hypotesis alteri præcedenti contradictoria. Quod tamèn aliquandò evenit, ut ostenditur ubi de præscientiâ divinâ.

De Duratione.

Duratio, tempus, successio, quamvìs aliquatenùs intèr se discrepent, tamèn à plerisque confunduntur Philosophis.

Quidquid existit, & pergit existere, id

durare dicitur, & ab omnibus intelligitur. Sic durat Rex qui regnare pergit; durat regni administer, qui rerum administrationi invigilare; durat Judex, qui jus dicere; durat Professor qui docere pergit; durant animi, durant corpora quæ in existentiâ perseverant. Idea autèm aut amor qui statìm evanescit, atque existit, non durat; Angelus, qui crearetur, nec conservaretur, non duraret.

Itaquè duratio universìm sumpta est existentia perseverans; cujus ideam acquirimus ex consideratione eorum omnium quæ sivè extrà, sivè intrà nos in suâ existentiâ permanere videmus, aut sentimus. Ex quibus patet in durationis conceptu *successionem* necessariò non includi; cùmque, ut jàm probatum est, existentia non sit aliquid positivum essentiæ rei existentis superadditum; duratio, quæ aliud nihil est nisi existentia perseverans, eâ de causâ non est aliquid positivum essentiæ rei durantis succrescens.

Hinc 1°. duratio non est ens quoddam à cæteris omnibus sejunctum, quod nequè substantia sit, nequè accidens; & cujus natura in perpetuò fluxu sit posita; quale vulgò tempus fingitur. Ejus enìm generis ens omninò fictum est & chimæricum.

Hinc 2°. absurda eorum sententia, qui

durationem in animi noſtri attentione conſiſtere dicunt; proindè quaſi infantulus qui duodecim horas dormit ad nihil attendens, intereà non duraret. Quæ quidèm ſententia falsò dicitur eſſe Lockii.

Durationem enìm eſſe exiſtentiæ continuationem opinantur cum Suareſio, Lockio, Joanne Clerico, nobiles omnes Philoſophi. Ejus autèm ideam nonniſi ex ſucceſſione affectionum animi noſtri à nobis comparari Lockius aſſerit, c. 14. de Duratione. Sic autèm cum Lockio mentem ſuam explicat Joannes Clericus, Ontol. c. 6.

Quicumque in ſe deſcendet, veluti quamdam idearum pompam, ſine intermiſſione, coram intellectu tranſire, certè dùm vigilat, ſentiet. Eamdem prorsùs ideam, aut quæ nullâ prorsùs in re, nèc detractione, nèc additione mutetur, diù animo noſtro non obſervari unuſquiſque experiri poterit. Si conetur de unâ quâpiam re ità cogitare, ut nihil accedat, nihil decedat primæ cogitationi; cùm vix per momentum id fieri queat: facilè ex perpetuâ illâ idearum mutatione nos ſentire exiſtentiam noſtram continuari, intilligere eſt.

Atquè hoc etiàm ex eo apparet, quod cùm idearum animo noſtro ordine obſervantium ſucceſſio deſinit, tùm nullo mo-

do nos durasse cogitemus; & pratèr lapsum tempus nostri respectu, sit quasi nullum fuisset. Ità ubi quis noctem sine somnio, cujus saltèm supersit memoria, totam dormiit; interstitium illud temporis quod fuit inter id momentum quo somno oppressus est, & id quo evigilare cœpit, non animadvertit.

Hoc posito, intelligimus quarè qui jucundè aliquâ in re tempus terunt, aut magno affectu cuipiam labori incumbunt, iis tempus breve videatur. Contrà verò qui cum calamitatibus aut doloribus conflictantur, vel cuipiam rei molestæ inviti dant operam, iis dies sint longiores. Nempè quibus gratæ obversantur ideæ, illi eas diutiùs sine magnâ mutatione considerant. Quià iis quæ nobis voluptati sunt, quàm diutissimè possumus, immoramur.

Hinc fit ut tempus cum voluptate prætermissum, quo pauciores ideas vidimus, brevius fuisse censeatur. Contrà, ubi molesta idea nobis adest, eam fugare nititur animus, aliasque ejus loco substituere: illi detrahit, addit, & varia irrequies versat, proptèr dolorem aut molestiam in quibus acquiescere non potest. Atquè hinc fit ut dormire nequeant qui dolent, & longissimas noctes, dùm se jactant per lectum, experiantur. Immensa illa idearum copia, quæ incredibili rapi-

ditate animum, ut ità dicam, cui se ostentat, brevissimo tempore prætervehitur, facit ut sibi durasse videatur, quàm alioquìn existimaret, diutiùs.

. .... Ubi ingruit nox auroram apparere, ubi oritur dies advenisse vesperam optant; atquè hæc illis adeò lentè sibi videntur succedere, ut horæ diebus, eorum judicio, dies hebdomadibus æquiparentur.

Hinc animus noster solus non posset tempus metiri. Itaquè si nulla alia ratio constans & immutabilis esset dimetiendi temporis hominibus omnibus eadem, nunquàm hominibus intèr se conveniret de longitudine temporis. Infelices diutissimè viverent, felicium brevis esset vita.

Verùm commodum nobis à Deo datæ sunt Solis & Lunæ periodi constantes, ut saltèm in iis memoratu dignam inconstantiam animadvertere non queamus, quibus omne ævum metiremur. Igitùr motus eorum astrorum non sunt tempus ipsum, sed mensura temporis. Atquè hæc Joannes Clericus, eademque Lockius, cum hoc solo discrimine quod asserat nullam ideam omninò eamdem & sine ullâ mutatione, vel per duo instantia in animo perseverare.

Hæc ideò exscripsi ut quædam in Lockii & Clerici sententiam notatu digna animadverterem. 1°.

1°. Falsum est ideam nullam aut animi affectionem eamdem omninò & sine mutatione perseverare posse. Nàm sæpè circulum aut alterum objectum coràm positum aliquandiù contemplamur, quin idea mutetur. Præterea sæpè ad ideam, aut alteram affectionem attendimus. Verùm nisi hæc idea aut affectio in animo permaneret ad illam non attenderemus, aut saltèm illius statim obliviscéremur, ut evenit respectu eorum quæ statìm atque apparent, evanescunt.

2°. Idea durationis ex idearum successione non necessariò nascitur. Tùm quià ex idearum aut affectionum perseverantiâ quam sentimus, facilè concludimus animi nostri existentiam continuari. : tùm quià beati in cœlis, & damnati in inferis ideam durationis habent, & certè verisimile est ideas easdem & affectiones in illis permanere.

3°. Qui jucundò fruuntur spectaculo, iis breve videtur tempus, his verò longum, qui morbo laborant. Atqui non ideò his longum videtur tempus, illis verò breve, quod hi ad plures diversasque ideas attendant aut alias affectiones, illi verò ad pauciores; imò è contrà. Qui enìm vehementèr dolet à capite, eodem sensibilitèr dolore affectum se sempèr existimat, nec valet ad aliud objectum aut affectionem attendere. Atquè ex eo tempus

videtur longum, vel potiùs dolor diutinus, quod, eum quem maximè aversatur, expellere non potest. Qui autèm grato interest spectaculo, innumera cernit objecta diversa cum summâ celeritate sibi invicèm succedere, atquè ad singulas eorum ideas attendit; sed ideò tempus breve videtur, quià hæc objecta quibus delectatur permanere vellet, illorumque ideas diù contemplari, quæ citiùs evanescunt singulæ.

Quarè ex eo solo non habetur idea durationis aut accurata ejus notio, ex quo modò major, modò minor eadem duratio videtur. Atqui positâ attentione ad idearum nostrarum successionem modò major, modò minor, eadem duratio videtur, ut fatentur Lockius & Clericus; minor etiàm apparet duratio, cùm ad plurium idearum successionem attendimus, ut jàm dixi. Imò fieri posset ut etiamsi multæ observarentur ideæ sibi succedentes, tanta esset voluptas, ut unicum instans, ut nulla videretur duratio: quod vulgò dicitur. Ergo &c.

4°. Si corpus in girum moveatur minori tempore quàm necessarium est ut ideæ nostræ possint aliæ aliis succedere, hâc de causâ, inquit Lockius, corpus illud motum non videtur, sed apparet circulus integer ejusdem materiæ & coloris quo corpus. Ergo, fatente Lockio, potest

esse successio quædam velocior quàm idearum nostrarum. Id certè falsum demonstrat quod asserit Lockius, scilicèt idearum successionem in homine vigilante regulam esse & mensuram aliarum successionum & durationis. Ergo &c.

Quamquàm multa in Lockii sententiâ minùs accurata mihi videantur, fateor tamèn ideam durationis ex attentione in idearum successionem comparari posse; sed contendo illud solum non esse medium acquirendæ ejusmodi ideæ. Imò non ex attentione præcisè in idearum successionem efformatur, sed ex comparatione idearum intèr se; cùm enìm animus has sibi succedentes secum invicèm confert; hoc ipso sentit perseverare se eumdem, nèc totidèm esse animos distinctos sibi succedentes quot sunt ideæ; alioquìn non posset hæc institui idearum comparatio. Ex quo concludit suam continuari existentiam, quæ est durationis idea.

Quæres quid sint æternitas, ævum, tempus.

Æternitas est duratio quæ nequè initium habet, nec finem. Talis est duratio solius Dei.

Ævum appellatur duratio, quæ initium habet, non finem. Talis est animorum nostrorum duratio.

Duratio quæ initium habet & finem,

cùm tota sumitur, tempus vocatur. Sic dicitur regnum Ludovici Magni Gallorum Regis duos suprà septuaginta annos duravisse; *quo tempore* summi cujuslibet ordinis viri floruere, artesque omnes & scientiæ ad perfectionis cumulum evectæ videntur.

Quædam de tempore addenda videntur de quo interrogatus olìm sanctus Augustinus, reposuit, si non quæras intelligo, si quæras jàm non intelligo.

Sententia Wolfii de Tempore.

Tempus sic definitur à Wolfio, ut sit ordo successivorum continuâ serie existentium. Dicitur ordo successivorum, id est quorum unum est primum, alterum secundum, alterum tertium, &c. Dicuntur successiva, quæ serie continuâ existant; quià successio non debet interrumpi.

Si ad continuam, inquit Wolfius, §. 571. successivorum *A*, *B*, *C*, *D*, &c, successionem attendentes existentiam ipsius *A* distinguimus ab existentiâ ipsius *B*, existentiam ipsius *B* ab existentiâ ipsius *C*, existentiam ipsius *C* ab existentiâ ipsius *D* &c. Quatenùs tali ordine se invicèm consequuntur, ut *A* sit primum, *B* secundum, *C* tertium &c. notionem temporis habemus.

Id probat tùm exemplo aquæ guttatum continuâ serie per foramen vasis fluentium; tùm quia, inquit, notio temporis ità adhæret seriei continuæ successivorum, ut impossibile sit hanc cogitare, nèc tamèn simùl notionem temporis habere.

Hinc, inquit, tempus nòn datur nisi existentibus successivis in continuâ serie; ipsis verò sic existentibus, tempus datur.

Quoniàm tamèn ordo ille diversus est tùm à rebus ipsis successivis, tùm ab existentiâ earumdem; ideò tempus diversum est tùm à rebus successivis, tùm ab earum existentiâ.

Refellitur.

1°. Tempus non potest dici aliquid diversum ab existentiâ. Nàm tempus est quædam durationis species. Duratio omnis est continuatio existentiæ, quæ quidèm continuatur, aut quià eadem perseverat, aut quià continuò renovatur & iteratur. Ergo tempus est existentiâ continuata; ac proindè non est aliquid à rebus successivis, eorumque existentiâ diversum.

2°. Tres temporis differentiæ sunt præteritum, præsens, & futurum. Præsens est existentia actualis, præteritum existentia quæ desiit, futurum existentia nondùm actualis, sed futura. Ergo tem-

pus non est aliquid diversum à rerum successivarum existentiâ.

3°. Ordo ille successivorum aliud nihil est quam essentia ipsa, seu idea, & relatio successionis. Cum enim repugnet quædam sibi succedere, simùlque existere; in his debent esse primum, secundum, tertium &c; in quo consistit ordo successivorum. Atqui successionis relatio atque essentia non est ipsum tempus reale. Nam aquæ guttæ per foramen vasis fluentes ordine sibi succedunt; gutta quippe *A* prima egreditur, postipsam gutta secunda *B*, post guttam *B* gutta *C* tertia &c. Atqui hæc successio non est tempus ipsum; eam enim à tempore secernunt omnes, cum dicant, & verum sit, eam modò majori, modò minori tempore perfici. Ergo tempus non est ordo successivorum quatenùs diversus & à rebus successivis & ab eorum existentiâ.

Tandèm entia successiva quæ serie continuâ existunt, vel ita sese excipiunt, ut singula unico instanti Mathematico existant, aliudque nullum possit inter duo collocari & existere; vel singula aliquamdiù in suâ existentiâ perseverant. Si primum hæc est notio temporis imaginaria, quâ nobis fingimus ens quoddam abstractum, cujus natura sit in perpetuo fluxu posita.

Si secundum, Ergo tempus est aliquid diversum ab illo ordine successivorum; cum singula ex illis successivis per aliquod tempus existant, modo breviùs, modo longiùs.

Sententia Suaris.

Suares disp. 50. sect. 8. contendit tempus esse ipsum motum. Quod sic explicat.

Duratio generatim est permanentia rei in suâ existentiâ. Motus autem quamvis non habeat permanentiam stabilem sed fluentem, in suo tamèn esse permanet, & durat quamdiù ejus fluxus non cessat, aut finitur. Ergo motus est quædam duratio, & quidem successiva. Cum itaquè tempus sit duratio successiva quâ utuntur homines ad suas actiones mensurandas; nec alia sit duratio successiva nisi motus; Igitur tempus est ipse motus.

Refellitur.

Hæc autem sententia falsa est. Etiamsi enim non nisi per tempus fieri possit motus; quo nomine aliud nihil hîc intelligitur nisi successiva variis locis correspondentia; tamèn successiva hæc correspondentia modò celerior est, modò tardior, modò accelerata, modò retardata, seu modò breviori, modò longiori, modò æquali, modò inæquali tempore absolvitur. Ergo tempus est & concipitur aliquid à successivâ ejusmodi correspondentiâ diversum.

Quæres igitur quid sit tempus.

Temporis nomine generatìm intelligitur duratio quædam, quæ sit durationis variarum rerum mensura. Quamvìs autèm nullius entis duratio realis, nullusque motus possit esse cœterorum motuum aut durationum mensura, ut claret ex modo dictis, & fatetur Suares disp. 50. sect. 10. tamèn 1°. arbitrariâ populorum omnium conventione factum est, ut solis & lunæ conversiones haberentur tanquam durationis aliarum rerum aut actiònum mensuræ; tempusque appellarentur. Imò anmum, quò nomine significatur integra solis conversio, metiuntur per ipsas anni partes. Si enìm quæratur quantum tempus duret annus, aut quanto tempore conversio solis absolvatur, reponunt, 365 diebus; dies autem 24 horis. Itaquè res aliqua, aut actio majori vel minori tempore durare dicitur, proùt pluribus, vel paucioribus solis conversionibus aut unius conversionis partibus coexistit. Hinc etiàm evenit, ut tempus designaretur per motum aliorum corporum, quod in horologiis sive solaribus, sive manualibus videre est. Requiritur tamèn ut motus ille sit uniformis. Neque conversio solis in mensuram durationis aliarum rerum assumpta est, nisi quia motus illius sensibilitèr uniformis est & æquabilis. Cùm autèm solis

motus reipsà fit modò retardatus, modò acceleratus, ideò solem alterum fingunt Astronomi, qui motu æquabili per æquatorem incedit, & cum verò sole ad principium arietis redit, à quo unà progressi fuerant.

Hinc quod vulgò temporis nomine intelligitur, id populorum consensu atque arbitrio constitutum est.

2°. Si agatur de mensurâ cujuslibet sive durationis, sive motus omnium corporum, etiàm solis: nomine temporis intelligitur ens quoddam abstractum, & omninò fictum, cujus natura in perpetuò fluxu est posita, ut nulla pars in suâ existentiâ perseveret, sed singulæ partes statìm atque existunt, existere desinant, & ab aliâ sine ullâ intermissione excipiantur, sicque deincèps. Imò eâdem mentis fictione eorum entium sibi succedentium continua series ab æterno cogitatur toti divinæ durationi correspondens. Hocque sensu quandòque dicitur ab omni tempore extitisse Deum & extiturum.

Quæres quid sint præteritum, præsens & futurum.

Instans præsens est existentia actualis; instans præteritum est existentia actuali anterior, instans futurum est existentia non actualis sed actuali posterior. Quare illud dicitur præsens quod existit; illud

præteritum; quod desiit existere; illud futurum, quod non existit quidèm, sed post aliquid existens extiturum est.

Hinc 1°. in ente, cujus duratio non est successiva, nihil est de ejus duratione intrinsecum, quod sit præteritum & futurum. Ejus enim duratio ex unicâ conflatur existentiâ; quæ seipsâ prior esse non potest aut posterior. Etverò cum hæc duratio ex multis existentiis sibi succedentibus non componatur, nulla est ejus existentia quæ esse desierit, nulla quæ in posterum incœptura sit. Ergo &c.

Hinc 2°. instans præsens est indivisibile. Nam si multa complecteretur instantia vel multa simùl præsentia, vel simùl præteritum, præsens, & futurum. Neutrum dici potest. Non primum; nam instans præsens est actualis existentia. Atqui ens aliquod non potest simùl bis aut tèr &c. Actu existere. Ergo non multa simul præsentia continet. Non secundum; nam præsens existit, præteritum & futurum non existunt. Ergo instans præsens non complectitur præteritum, & futurum.

2°. Instans præsens si mensuretur, illud est quod mens mea insumit ad judicium producendum. Atqui illud est omninò indivisibile. Si enim compositum esset & divisibile, una pars assensus poneretur, alterâ nondùm positâ; sicque assensus non esset simplex, sed divisibilis.

3°. Concipitur Deum posse animum creare, nec illum conservare. Atqui nisi instans esset indivisibile, creari non posset animus quin conservaretur. In suâ quippe existentiâ per multa instantia permaneret. Ergo &c.

4°. Instans præsens est actualis animi existentia; atqui hæc existentia simplex est & indivisibilis. Tota enim ponitur vel nullatenùs ponitur. Ergo &c.

Ita sentiunt multi nobiles Philosophi; mirumque videri debet, quod quidam asserant nullum esse instans quod præteritum, præsens, & futurum non complectatur. Idem enim non potest simùl existere & non existere.

Hinc 3°. instans præsens in se non est successivum. Nam ad successionem multa requiruntur instantia; requiritur instans presens respectu alierius prioris aut posterioris. Non enim alia ratione concipitur successio. Atqui instans præsens multa non continet instantia. Ergo &c. quare si temporis nomine intelligeretur successiva entis alicujus realis duratio; instans præsens esset pars temporis, non tempus.

Dices contra secundum consectarium. Si instans præsens simplex esset & indivisibile, duratio successiva vel tempus componeretur ex partibus indivisibilibus: atqui id repugnat. Nam demonstrant Phisici

extensionem seu continuum non posse ex partibus inextensis & indivisibilibus componi. Atqui non magis duratio successiva potest ex partibus simplicibus componi, quàm extensio corporea. Ergo &c.

N. mi. ad cujus probationem nego minorem. Ratiò discriminis est, inquiunt Physici laudati: quod partes extensionis corporeæ, si essent simplices, sese penetrarent, cum secundùm se totas sese tangerent: ideòque extensio corporea non posset ex illis concrescere. At partes durationis non sese penetrarent: quippe unâ existentê, altera non existeret; sed aliæ post alias existerent. Ergo possent successionem constituere. Quare nulla est paritas.

De Categoriis.

Quamquàm per omnia inanium quæstionum diverticula vagari nec velim, nec sine gravi possim temporis jacturâ; tamèn cum nomen Categoriæ ita publici juris factum fuerit, ut vel in colloquiis familiaribus usurpetur, ideò exponendum duxi, quid significet.

Categoriæ nomine significatur prædicamentum seu attributum. Sunt autèm Categoriæ classes rerum quæ ad certa quædam genera referuntur. Sic inquiunt, Deus ad substantiæ categoriam pertinet, quia Deus est substantia.

Omnia idearum nostrarum objecta ad genera decèm diversa revocari posse opinatus est Aristoteles, ideòque categorias decèm assignavit, quæ sunt substantia, quantitas, relatio, qualitas, actio, passio, locus, tempus, situs, habitus seu vestis. Unicam igitur admisit substantiæ categoriam, novèm autèm accidentium. Verùm cùm res substantiales innumeræ diversi sint & esse dicantur generis, quemadmodum & accidentia; idcircò tot sunt, & in sermone vulgari tot admittuntur categoriæ, quot sunt diversa genera, tùm rerum substantialium, tùm accidentium. Unicam strictè loquendo categoriam esse censet Dagoumerius; eo quod categoriam eorùm esse dicat, quæ sub genere quodam supremo continentur: genus autèm supremum unicum est nempe *ens*. Pendet, inquit, propositio ab illâ quæstione, utrum *ens* sit genus univocum respectu omnium rerum. Quam quæstionem extrà dubium omne positam cùm arbitretur, ideò ne curat quidèm opinionem suam de unitate categoriæ, argumentis confirmare.

Verùm ex hâc quæstione si suspensa esset hujus opinionis veritas; nulla esset categoria. Probavimus enim neque *ens*, neque *substantiam* esse genera univoca.

Insupèr neque Philosophi veteres ad

categoriam genus aliquod supremum postulaverunt, neque significatio nominis categoriæ usu recepta tale genus exigit. Idcircò aut nullæ, aut innumeræ admittendæ sunt categoriæ. Quod utrumque ejusdem est utilitatis; cùm neutrum ad rerum cognitionem inservire queat.

De Entium bonitate.

Non agitur eo loci, inquit Dagoumerius, de bonitate relativâ, quâ ens conveniens est alteri; vel alterius perfectivum; sed agitur de bonitate absolutâ, quam Metaphysicam vocant, quâ ens integrum est in se, suoque modo perfectum.

Hæc itaque bonitas est entis integritas, perfectaque attributorum omnium essentialium complexio. Bonitas ejusmodi cum ente reciproca est. Nec enim ullum est ens, quod omnia non habeat attributa sua essentialia, quibus tale ens constituitur. Imò lapis in suo genere tàm in se perfectus est, tàmque bonus, quàm aurum; vermis, quàm avis pulcherrima: eorum enim quædam non nisi relativè ad nos, ad usus nostros, & utilitates, aliis meliora dicuntur. Hæc autem bonitas, ut patet, essentiæ rei nihil superaddit. Hocque sensu vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona.

Ens à Metaphysicis eo etiàm sensu bo-

num appellatur, quod habeat quidquid necessarium est, ut eum præstet usum ad quem à creatore entium sapientissimo destinatum est. Discrepat autèm hæc bonitas à morali bonitate, quæ ex rectis moribus & benefactis pendet, solisque creaturis intelligentibus convenit, à quâ deficere possunt. Metaphysica autèm bonitas, ut in entia omnia cadit, ita ab eorum naturâ nisi pereant, divelli non quit.

Quam bonitatem, inquit Clericus, non nisi summatìm in plerisque entibus cognoscere possumus. Nam primò ignotus nobis est magnâ ex parte finis proptèr quem Deus singula entia creavit, seu quid sibi creatione singulorum entium efficere proposuit. Secundò, ut plurimum, quâ viâ ad eum finem perveniant ignoramus. Neque enìm intimam entium constitutionem, neque omnes eorum proprietates cognitas habemus.

Ex quo perspicuum est quàm temeraria sint, quàm insulsa quæ ab incredulis contrà sapientissimam Dei providentiam objiciuntur; quæ quidèm ex solâ finis, quem Deus intendit ignoratione, ducunt originem.

De Entium veritate.

Veritatis nomine aliud Logici, aliud Metaphysici intelligunt. Apud Logicos

veritas est conformitas ideæ aut judicii cùm rebus quæ sunt idearum aut judiciorum objecta.

Metaphysici aliam admittunt quam dicunt ipsarum rerum veritatem. Sic verum aurum, verum adamantem dicimus: quibus vocibus significatur ipsum aurum, ipse adamas; ut ab iis omnibus aurum secernatur, quæ ementitam auri speciem præ se ferunt. Ex quo claret hanc veritatem esse ipsam rei convenientiam cum ejusdem definitione; ipsamque rei essentiam, Quare ejus generis veritas rei nihil superaddit.

Essentia autem duplex est, ut diximus, nominalis & realis. In corpore quodam cui usus nomen auri imposuit, unà esse qualitates quasdam observavimus; ex iis definitionem confecimus. Quodcumque corpus, in quo omnes illæ proprietates deprehendentur, verum aurum appellabitur; falsum verò aurum, in quo qualitates illæ non occurrent omnes. Ergo, inquit Clericus, verum aurum est id, cui nominis auri definitio convenit, falsum cui non convenit.

Eo loci observandum est, inquit Dagoumerius; quia omne ens prædicto sensu verum est, nullam dari falsitatem absolutam, sed tantùm relativam. Sic aurichalcum non dicitur absolutè falsum, sed

additur aurum, appellaturque falsum aurum. Quoniàm auricalcum ipsum ratione sui verum est, suisque attributis essentialibus & constitutivis conforme; solùmmodo falsum est relativè ad aurum, eo quod speciem auri præse ferat, cujus intimam constitutionem non habet. Dicitur etiàm falsum, inquit S. Thomas, quia natum est facere de se opinionem falsam; cum veluti innatum nobis sit per ea quæ exteriùs apparent de rebus judicare.

Finis Ontologiæ.



METAPHYSICA SPECIALIS,

Seu Pneumatologia.

PNEUMATOLOGIÆ nomen idem ſignificat ac ſermo de ſpiritu. Quare hæc Metaphyſicæ pars ſic inſcribitur, quòd de ſpiritibus diſputet.

Spiritus autèm universìm duplex, neceſſarius & contingens. Spiritus neceſſarius ille eſt, qui neceſſariò, & ex naturâ ſuâ exiſtit, nec poteſt ab alio exiſtentiam accipere, quam ex ſuâ habet eſſentiâ. Ideòque eſt increatus.

Spiritus contingens is eſt, qui poteſt exiſtere, vel non exiſtere; qui proindè ſupponi non poteſt exiſtens, quin exiſtentiam habeat alterius operatione acceptam, cùm eam neque ex naturâ ſuâ habeat, neque ſibi conferre poſſit. Si exiſtat, eſt creatus.

Duplex erit Pneumatologiæ pars, quarum prior de ſpiritu neceſſario & increato differet; poſterior de ſpiritu contingenti & creato.

De Spiritu neceſſario.

Pars hæc Pneumatologiæ, Theologia na-

turalis appellatur, eò quod disputat de Deo ejusque perfectionibus, quatenùs lumine naturali possunt innotescere. Discrepat igitur à sacrâ Theologiâ, quæ similitèr de Deo sermonem habet, ejusque attributis; sed quatenùs lumine supernaturali, seu revelatione cognoscuntur.

Quæremus 1°. an sit Deus, 2°. quid sit, 3°. quotuplex sit, 4°. qualis sit, 5°. de actione Dei in creaturas dicemus.

QUÆSTIO PRIMA.

An existat Deus.

Dei nomine intelligitur supremum numen præstantissimæ mentis quod rerum mundanarum à quibus omninò disjunctum est, procurationem habeat, easque regat & moderetur.

Quod ens supremum existere qui profitentur, Theistæ vocantur; Athei verò, qui Deum nullum admittunt.

Athei alii negativi, alii positivi. Athei negativi dicuntur qui Deum non admittunt, quem ignorant vel mentis inopiâ, vel quod pecudum more nihil cogitent, nisi quæ alendo, fovendoque corpori sunt idonea. Athei positivi vocantur, qui existentiam supremi numinis impugnant. Athei utriusque generis appellantur speculativi, ut distinguantur ab impiis qui-

busdam, qui Deum quidèm cognoscunt; sed nullum existere peroptarent, ut genio & voluptatibus indulgerent liberiùs; quique idcircò Athei practici nuncupantur.

Instituti nostri ratio cum postulet, ut lectiones nostras intrà certos quosdam limites concludamus, non patiuntur temporis angustiæ, ut optimas quasque referamus demonstrationes, quas tum veteres, tum recentiores Philosophi, aut Theologi eâ de re tradiderunt. Nec etiàm nobis probantur nobiles quidam Philosophi, qui magnum aliquid in religionis gratiam egisse se arbitrantur, si quæ ad revincendam Atheorum pertinaciam ipsis robusta satìs non videntur argumenta, hæc totis viribus elevare conentur.

Non enìm contrà Atheos solùm existentia Dei adstruitur, sed etiàm in eorum gratiam qui nondùm seriò, quibus nitatur probationibus, expenderunt; quique sincero veritatis detegendæ studio ad examen accedunt, parati germanæ demonstrationis vim sentire, assensumque præbere. Cum econtrà Athei in latus omne se vertunt, ut quam metuunt Dei existentiam, argutiis suis & cavillationibus evertant. Prætereà cùm varium existat in hominibus ingenium, aliaque aliis insit cogitandi ratio; indè fieri necesse est, ut demonstrationes, quæ quorumdam assen-

ſum rapiunt, alios non moveant, & vice versâ. Quapropter ego exiſtimo referendas eſſe demonſtrationes, quæ videntur efficaces, cœteras ſilentio prætermittendas, non impugnandas. Itaque ſic in tanti momenti diſputatione procedemus ut 1°. oſtendamus expendendum eſſe an Deus exiſtat, 2°. optandam eſſe theiſmi veritatem, 3°. Theiſmum Atheiſmo tutiorem, Animis ità præparatis argumenta multiplicis generis referemus, quibus Deum exiſtere demonſtrabitur. Tandèm Atheorum ſyſthemata refellemus.

PROPOSITIO I.

Demens omninò ille ſit oportet, qui circà ſupremi numinis exiſtentiam ità indifferens manet, & otioſus, ut ne velit quidèm expendere, an Deus exiſtat.

Pbr. Omnium dementiſſimus haberetur, qui ſciret innumeros homines peritiſſimos tùm in omnibus mundi partibus nunc conſpicuos, tùm eos qui multis antè ſæculis floruerunt, pro certò habuiſſe certam quamdam agendi rationem in apertum famæ, fortunæ, aut etiàm vitæ diſcrimen deducere; tamèn eam ſequeretur agendi rationem, de eventu ita parùm ſollicitus, ut ne expenderet quidèm, an vera ſit tot peritorum ſententia. Atqui dementior etiàm eſt, qui nullatenùs curat

expendere an Deus existat. Nisi enim sit in orbe toto peregrinus, non ignorat innumeros homines nunc in omnibus mundi partibus ingenii & eruditionis famâ notissimos, innumerosque alios qui multis ante sæculis tanquam oracula spectabantur, demonstratam arbitrari existentiam entis supremi, quod summum habeat in homines dominium, eisque leges imposuerit, quas præmiis, æternisque propositis pœnis sanciverit. Igitùr qui nullatenùs curat expendere an hæc sententia vera sit, is manifestum incurrit pœnarum æternarum periculum; ideòque omnium hominum dementissimus est.

Et verò qui ità se gerit, hæc quidèm duo certa cognoscit, primum, nullam habere se conscientiam existentiæ suæ antè diem generationis; secundum, post aliquot annos sibi moriendi necessitatem incumbere. Verùm ignorat utrum id, quod in ipso cogitat, sit res substantialis à corpore diversa, quæ initium habuerit, & ab ente præpotente facta fuerit; ignorat utrum in morte totus pereat, an verò animus corpori superstes mansurus sit. Intereà genio cum summâ libertate indulget & cupiditatibus; eaque omnia facit, quibus pœnas æternas mereatur, si quæ futuræ sint: tantumque eventum tentat non modò sine cautione ullâ, vel

anxietate; sed etiàm de suâ securitate gloriatur, eam ostentat, quod jugum excussisse appellat, sicque se famam sibi conciliaturum existimat. Atqui nemo sanæ mentis est, qui non ab his sensibus abhorreat, eamque agendi rationem dementiæ cumulum non judicet. Ergo &c. Ita fermè Pascalius.

PROPOSITIO II.

Societati, principibus, privatisque hominibus optanda est Theismi veritas.

Pbr. prima. Pars societati peroptandum est existere Deum præpotentem virtutis remuneratorem, vitiique vindicem.

Nam societas hominum inter ipsos, & vitæ quasi communitas continetur justitiâ, cujus fundamentum est fides, id est dictorum conventorumque constantia, & veritas, justitiæ conjunctâ beneficientiâ, modestiâ seu temperantiâ, mutatione officiorum, amore in patriam, parentes, homines omnes: verbo dicam stat virtutibus societas, vitiis evertitur & impietatibus. Atqui theismus ad virtutes omnes colendas præmiorum spe sollicitat, cupiditates omnes suppliciorum æternorum metu vitiaquè coercet; dùm è contrà Atheismus habenas vitiis permittit. Nativa quippè atheismi principia ab omnibus fermè atheis sive veteribus sive recentioribus,

confessa; hæc sunt, „ libibinem dominandi & cupiditatem unicam esse hominum „ regulam.... Jus omne situm esse in potentiâ, obligationem in imbecillitate: „ cuique licere facere quodcumque, & in „ quoscumque libuerit; adeòque nihil in„ justum fieri, nullam injuriam inferri „ posse. Virtutem idcircò omnem rem esse „ vanam nec præcellere fidem perfidiæ, „ clementiam crudelitati, gratum ani„ mum ignavo & ingrato, modestiam im„ pudentiæ; uno verbo nihil esse quod „ cuiquam laudi vel vitio verti possit.

En detestanda cuilibet homini principia, quæ Hobbio & Spinosæ non probantur modò, sed etiàm defenduntur. Immò quidquid dicat Baylus, nimis compertum est omnibus, ideò supremi numinis existentiam negari, ut quælibet morum regula quam jugum appellant, excutiatur.

Verùm etiàmsi Atheismus discrimen essentiale virtutem inter & vitium relinqueret, quod non negamus; brevi tamèn tempore lapsa consuetudo deflecteret à viâ, sensìmque eò deduceretur, ut quisque honestatem commodis suis & utilitate metiretur. Si qui forent naturâ boni, & ad vertutem nati, qui bonum à malo etiàm utili vel jucundo secernerent, nonnè ab omnibus haberentur ut insani Metaphysicis abstractionibus delusi? Cum enim felicitas

felicitas omnis præsente vitâ concluderetur; quis ita insulsus esset, qui cùm ad felicitatem natum se sentiret, ut dolorem summum malum non statueret, voluptatemque summum bonum? Qui autem summum bonum instituit, ut nihil habeat cum virtute conjunctum, hic si sibi ipse consentiat, neque amicitiam colere possit, nec justitiam, nec cæteras virtutes ad fovendam hominum inter ipsos, servandamque societatem necessarias. Tandèm sublatâ supremi post mortem judicis formidine quam vim ad jubendum aut vetandum contrà potentes voluptatis illecebras, cupiditatumque omnium imperium servare poterit sensus justi & injusti; si tamèn aliquis supersit, exemplisque cæterorum hominum & consuetudine totus non extinguatur. Ergo societati peroptanda est Theismi veritas.

Pbr. secunda pars de principibus, rerumque publicarum moderatoribus. Quidquid enìm cupiditatibus frænum injicit, virtutes verò fovet & excitat, id principibus peroptandum est. Hæc autem duo præstat Theismus, è contra Atheismus; ut ex jam dictis liquet. Ergo &c.

2°. Omnes ad unum Philosophi opinionem de diis, & animorum immortalitate tuendam esse tanquàm præsidium legibus firmissimum putaverunt; ipsi etiàm

Athei manifesta hujus opinionis utilitate permoti in omni ævo calumniati sunt, eam à principibus inventam fuisse ad salutem & incolumitatem reipublicæ.

3°. Cum ordo postulet ut sit in republicâ Legislator cum summâ potestate, obsequium legibus inter religionis officia ponit Theista; ideòque leges servat ex conscientiâ, non solo metu Principis aut pœnæ temporalis. Ergo legibus obsequitur, etiàm cum Legislator transgressionem cognoscere non potest. Sublato autem Deo, sublatâ conscientiâ, authoritas ejusmodi nulla esse potest in civitate; sed authoritas omnis, ut docuerunt Hobbius & Spinosa, potestas est cogendi, quæ viribus non jure determinatur; ut si quis magistratibus resistere possit impunè, possit & jure resistere.

Etverò cum nemo in alium ex naturâ dominium habeat, omnesque pares nascantur; authoritas magistratus aut principis in Atheismo nulla est, nisi quam in bonum suum & utilitatem ex liberâ conventione concesserunt, qui sese voluerunt subjicere. Ergo obsequium denegabunt subditi, & ad rebellionem incitabunt; 1°. quotiès Legislator tributum insolitum, aut onus gravius imponere voluerit; causasque & rationes legum sempèr suscitabuntur, quæ commodis earum raro

præpondarebunt. 2°. Quotiès imminebit mors, quæ erit malum extinctionis sempiternum. 3°. Quotiès alter viribus, ingenio, & facultatibus potens meliorem plebi sortem pollicebitur, aut principis tyrannidem prætendet. Sic enim auram popularem facilè captabit. 4°. Proptèr insitam plebi levitatem, & stuporem contingit sæpissimè, ut princeps olim gratissimus, multis de causis sive gravibus, sive levioribus, sive etiàm nullis in posterum displiceat, adeò ut eum si posset, solio moveret. Nihil autèm obstabit; fœdus cum illo initum rescindet, alterumque in ejus locum eliget. Tandèm in maximis animis splendidissimisque ingeniis plerumque existunt honoris, imperii, potentiæ, gloriæ cupiditates. Præclarè autèm Ennius, *nulla sancta societas*, inquit, *nec fides regni est.* Quod certissimum esset apud Atheos, quibus bona fides, ut omnis alia virtus, vel res ludicra est, vel si quod sit bonam fidem inter & perfidiam discrimen, totum est speculativum. Atqui tamèn in bonâ fide solâ fœderis cum principe facti obligatio fundatur. Ergo principibus nihil metuendum magis, quàm Atheismus; nihil optandum magis, quàm Theismi veritas.

Pbr. Tertia pars de privatis hominibus. Hæc ex aliis partibus jàm probatis spontè

sequitur. 2°. Cum in Atheismo solus pœnæ temporalis metus arceat à crimine; quid faciat is in tenebris, qui nihil timet nisi testem & judicem? Quid in deserto loco nactus, quem multo auro spoliare possit, imbecillum atque solum? Quænam sollicitudo vexaret impios, cupiditates cohiberet, sublato suppliciorum metu? Quos etiàm judices non corrumperent munerum, divitiarum, potestatis, dignitatum fulgores, voluptatum illecebræ? Theismus verò Deum nobis exhibet factorum quamvis occultorum testem oculatissimum; civibusque persuadet dominum esse omnium rerum & moderatorem Deum, eumque qualis quisque sit, quid agat, quid in se admittat, quid etiàm cogitet intueri, piorum & impiorum habere rationem: tollitur ergo spes omnis vitandi supplicii.

3°. In Atheismo viget lex fortioris; ideòque pauperes & imbecilli à divitibus & potentibus læduntur, conculcantur, spoliantur auxilio omni & solamine destituti. In Theismo saltèm sperant vitam meliorem & patientiæ suæ mercedem. Ergo &c.

Tandèm omnibus peroptandam esse Theismi veritatem, Atheismi verò falsitatem patet ex solâ utriusque sententiæ expositione. Suadet 1°. Theismus nos di-

vinam sortitos originem cum optimo parente Deo similitudinem quamdam habere & cognationem.

Atheismus verò naturam hominum vilissimam efficit & abjectam. Nihil enim sumus nisi fortuitus quidam atomorum acervus, quarum si commissuræ dissolvantur, tum nos interire totos necesse est.

2°. Docet Theismus omnia quæ geruntur Dei summè providi sapientis, benevoli, præpotentis, benefici geri ditione & numine, cujus optimis sanctissimisque decretis cuncta primùm constituta perpetuo decurrunt ordine. Atheismus verò statuit tenere principatum vim quamdam sine ratione, sine consilio, sine benevolentiâ temerè & sine lege cientem motus necessarios.

3°. Theismus ad virtutes omnes, quas fovet, excitat spe summæ felicitatis; à vitiis, etiàm ubi testes nulli sunt, avertit pœnarum æternarum metu. Atheismus verò remittit vitiorum habenas maximè cum spes impunitatis affulget.

4°. Etiàm cum adversâ premimur fortunâ, habemus in spe divini præsidii maxima fortitudinis & constantiæ adminicula. In ærumnis verò, hujusque vitæ casibus quid auxilii ab atomis aut cœcâ fati necessitate sperare possumus?

Nonne præfocanda esset hæc naturæ vox

Deum in adversis sponte advocantis, di- avertite casum. Ergo &c. Ita fermè author religionis naturalis & revelatæ.

Obj. Cum Baylo: Experientiâ compertum habemus homines in vitâ instituendâ parùm sequi Philosophiæ aut religionis principia. Quot enim cernere licet, qui christianam fidem de æternis post mortem cruciatibus ex animo profitentur, & tamèn libidinibus obsequuntur. Ex quo sequitur vix ullam esse religionis vim ad promovendam, aut Atheismi ad minuendam virtutem.

Dg. ans. Ubì hæc principia contraria sunt sensibus internis & naturalibus quos exuere omninò non possunt homines, vel opposita cupiditatibus quarum vi abripiuntur. C. ans. Ubì sunt cupiditatibus consentanea. N. ans. & cqm. Tanta hominum imbecillitas est tantaque levitas, ut abrepti æstu cupiditatis, etsi videant meliora probentque, deteriora tamèn sequantur; Voluptatum enim illecebris, quàm virtutis pulchritudine afficiuntur vividiùs; cupiditatum imperio quàm rationis dictatis moventur potentiùs. Quid igitur contingeret, si vis appetitus, si divitiarum, gloriæ, imperii cupiditates fræno nullo coercerentur?

Dices 2°. cum eodem. Athei ejusdem rationis participes sunt, iisdemque ac

Theistæ sensibus afficiuntur. Quare nihil obstat, quominùs negatâ Dei existentiâ bonum à malo morali secernant. Ideò autèm coluntur virtutes, cohibentur vitia, quòd discrimen essentiale inter bonum & malum morale percipitur. Ergo &c.

Respondeo Atheismum ex se ipso non tollere sensum justi & injusti, nec morales rerum differentias; cum essentiales sint. Verùm experientiâ compertum est hæc ipsa ab Atheis multis sublata fuisse, qui cùm Spinosâ dicunt virtutem & vitium vana esse sine re nomina. 2°. Vix aliâ de causâ negari supremi numinis existentiam, nisi ut quælibet morum regula, quam jugum appellant, respuatur. 3°. Dictata rationis Atheis consilia potiùs sunt quæ invitent, vel motiva naturalia ad agendum impellentia, quàm officia quæ strictè devinciant; cum sine lege præmiis & pœnis sancitâ, ideòque sine potestate superiore perfecta obligatio nulla esse possit. 4°. Quam vim hæc motiva habere possent in vulgus Atheorum quorum non fuit exculta ratio? Quam vim servare possent contra tumultuantium libidinum impetus, contrà imperii, divitiarum, voluptatum cupiditates. Ergo &c.

Hinc ex paucorum Atheorum vitâ, scilicèt Epicuri ipsius, Plinii antiquioris, Vanini, Spinosæ quorum probitatem mo-

rumque honestatem laudat Baylus; hinc nihil erui potest, quod propositionis nostræ veritatem elevet; ut ex probationibus patet atque ex superiori responsione.

Mirum quippè non est paucis in hominibus qui rationem excultam habuerunt, seque totos dederunt Philosophiæ studio, servare vim magnam potuisse sensum justi & injusti, ipsisque cognitos fuisse limites quibus bonum à malo morali separatur. Naturæ excultæ bonitate victi sunt. Cumque singularitate doctrinæ oculos omnium in se convertissent, non parùm eos afficiebat publica existimatio soli concessa virtuti. Deniquè necesse quoque ipsis fuit, ut bonâ vitâ publicam amoverent invidiam, quam ipsis conflabat Philosophandi ratio à vulgi opinionibus abhorrens. Sed hæc motiva in vulgo rudi & imperito locum non habent.

Prætereà in Atheorum opinione summum bonum non potest ita institui, ut fortioribus naturæ propensionibus adversetur, nec obtineri queat, quin homo bellum contrà se perpetuum gerat. Itàque homines omnes aut ferè omnes summum bonum in voluptate, gratisque sensationibus collocabunt, summum verò malum in dolore. Quâ positâ sententiâ si sibi consentanei esse velint, nec interdum naturæ bonitate vincantur, virtutes nullas co-

lere possint, easque inter insulsas abstractiones annumerent, necesse est.

Ex dictis perspicuum est & apertum quam societati, principibus, privatisque hominibus exitiosus sit & detestandus Atheismus. Quam quidèm in rem cùm multa ex Tullio præclarâ deprompserim, juvat etiàm hæc exscribere quæ l. 1°. de naturâ deorum leguntur.

„ In specie fictæ simulationis, sicut „ cæteræ virtutes, ita pietas inesse non „ potest: cum quâ simùl & sanctitatem & „ religionem tolli necesse est, quibus su„ blatis perturbatio vitæ sequitur & ma„ gna confusio. Atque hæc Tullius.

Quæ gravissima hominis Ethnici dicta dum miramur, quis non indignetur hominem inter christianos extitisse, qui tantam Atheismi labem abstergere non modò conatus fuerit, sed etiàm præstantiorem Theismo Atheismum ostendere. Is est famosus dictionarii critici author Baylus, qui exindè famæ causam habet, undè perdere debuit, ex immodicâ & solutiore sentiendi libertate; cujus præcipuas objectiones jam diluimus. Malum autèm & impium est, inquit Tullius, contra Deos disputare, sive ex animo id fiat, sive simulatè.

PROPOSITIO III.

Theismus Atheismo tutior est.

Probatur 1°. Theismus tutior est, si homines in societate & vitæ communitate spectentur, ut ex præcedente propositione claret.

2°. Etiàm si singuli & seorsìm considerentur. Illa enìm sententia tutior est, quæ plura, multòque majora secum affert commoda: atqui talis est præ Atheismo Theismus: qui enìm ex Theistarum sententiâ vitæ rationem instituit; is virtutem colit quæ exornatam mentem erigit, pacem animis & tranquillitatem ingenerat, cæteros nobis devincit homines, vel improborum existimationem conciliat, constantiam in adversis & solatium parit spe felicitatis æternæ. Quid autèm, inquit Tullius, eo dici, aut excogitari potest in præsenti vitâ beatius?

Si Deus quem crediderat, non existat, nullum indè malum ipsi post mortem evenire potest; cùm nemo futurus sit qui vel ei nocere, vel etiàm illum irridere queat. Si verò quem sempèr purâ, integrâ, incorruptâ & mente & voce veneratus est, existat Deus optimus, æternis eum præmiis cumulabit.

Atheus Econtrâ qui ex opinionis suæ principiis vitam agit, voluptatibus qui-

dèm fruitur, cùm poteſt, indulgetque cupiditatibus. Verùm hoc maximè infelix eſt, quòd raṙò poſſit, quod cupiditates incitatæ ſemèl, ſibique permiſſæ ità vehementes fiant, ut ſatiari vix poſſint, ſatiatæ faſtidium pariant, mentis corporiſque habitum corrumpant. Cùmque conſiſtere nullo modo queant, in extrema quæque & ſcelera rapiunt cæteris hominibus deſpecta, odioſa, ſibique moleſtiſſima. Suum enìm quemque ſcelus agitat, terret, vexat, angore conſcientiæ cruciat, amentiâque afficit. Hæ ſunt impiis, inquit Tullius, aſſiduæ, domeſticæque furiæ. Quarè Atheiſmi, ſi verus ſit, exiguæ admodùm ſunt etiàm in præſenti vitâ utilitates; nullæ omninò poſt mortem, cum omnia morte deleri opinentur. At ſi Athei in errore verſati ſint, ſupremumque Numen exiſtat cujus noluerunt legibus obſequi, quodque deſpexerunt, conviciis, injuriâque affecerunt; quanta manent eos ſupplicia poſt mortem à ſupremo ſcelerum Vindice repetenda? Horrendum enìm eſt in manus Dei viventis incidere; ergo Theiſmus Atheiſmo tutior eſt.

Hinc etiàmſi Theiſmus non eſſet Atheiſmo certior, (quod falſum demonſtrabitur) prudentis eſſet Theiſmum eligere.

Nàm ubi inſtat eligendi neceſſitas, in

dubiis pars tutior est eligenda, ex prudentiæ axiomate: atqui Theismus, ex superiori propositione, Atheismo tutior est; atquè in præsenti negotio instat eligendi necessitas. Nihil enim magis rationi adversatur, quàm si quis in præsenti quæstione ità indifferens maneat & otiosus, ut de utrâque parte nihil sollicitus sit. Ergo &c.

Obj. 1°. Nullum majus est in præsenti vitâ commodum, nihilque dici aut excogitari potest beatius, quàm animum habere metûs omnis expertem, & libertate frui plenissimâ: atqui Theismus Numinis metum injicit hominibus, tollitque libertatem. Quis enim ferat, inquit Velleius apud Ciceronem, impositum cervicibus suis sempiternum dominum, quem dies & noctes timeat, omnia providentem, & cogitantem, & animadvertentem. Ergo &c.

Respondeo 1°. hoc argumento nimis probari, ideòque nihil. Probaretur enim nullam in Legibus civilibus utilitatem inesse, sed incommodum maximum; utpotè quæ metum hominibus injiciant, tollantque libertatem. Quare metus immeritò malum judicatur, quotiès nonnisi cum summâ salute & conservatione hominum incutitur; quamque molestiam parit, hæc multis aliis, magnisque utili-

tatibus compensatur. Atqui talis est supremi Numinis metus; arcet enim à vitiis, quorum infinita sunt incommoda; excitat ad virtutes, quæ innumeras secum afferunt utilitates. Ergo &c.

2°. Nego min. Suavem enim jucundamque spem non pavorem parit Theismus. Siquidèm nobis Deum exhibet tanquàm parentem optimum, summè providum, ergà omnes homines benevolum, ergà bonos præsertim beneficum; non verò tanquàm tremendum aliquod numen quod vel ex necessitate, vel cæco arbitrio potentiâ suâ ad malefaciendum abutatur. E contrà Atheismus, in quo cœcâ fati necessitate geruntur omnia. Quantùm autèm solatii ex sævâ quâdam procellâ & turbine expectare sapiens poterit, aut ex commoto quodam mari, cujus nequeunt violenti fluctus exorari; tantùm homines à fortunâ aut atomis auxilii & opis sperare possunt. Ergo &c.

Obj. 2°. Imprudens est, qui certo incertum anteponit. Atqui Theista certo incertum præponit. Ductus enim spe fœlicitatis æternæ, quæ incerta est, certissimas omnibusque obvias voluptates opprimit; econtrà Atheus. Ergo &c.

Distingo maj. Imprudens est qui certo incertum anteponit, si nulla sit ei spes lucri majoris, nullumque ex alterâ parte

incurrat periculum; conc. maj. Si ſpes ei ſit lucri maximi, graviſſimumque ei immineat periculum, ſi certum præponat; n. maj. & ſic diſt. min. nego conſeq.

Qui certo incertum præponit, non continuò imprudens ſempèr judicatur. Sic mercatores pecuniæ, mercium, capitiſque ipſius periculum faciunt; nec ideò imprudentiæ arguuntur, cùm ſpem habeant lucri majoris. Quis imprudentes diceret milites, militumque Præfectos, cum hoſtium ferro, tormentiſque bellicis audaces ſeſe forteſque objiciunt.

Itaquè ſi ſpes affulgeat lucri omnium maximi, nèc poſſit bonum præſens certumque præponi, niſi periculum impendat omnium graviſſimum; tùm ſummæ prudentiæ eſt bonum præſens poſtponere. Atqui ità ſe gerit Theiſta. Si cupiditatibus indulgeret, periculum adiret pœnarum æternarum; hâc de causâ voluptatem opprimit, atquè à corporis obſequio diſcedit, quod ſummæ & nunquàm finem admiſſuræ felicitatis ſpes affulgeat.

Nèc ideò putandum eſt eum in præſenti vitâ triſtem ſempèr, miſerum & lugentem incedere. Cupiditates quidèm comprimit, ſed ſolùm immoderatas, quæ rationem perturbant, mentem vexant ægritudinibus At cæteris oblectationibus, vitæque commodis, quæ ſana ratio non

improbat, illi non interdicitur. Sicque felicem ducit vitam, quæ quidèm confitentibus Epicuro & Lucretio, jucunda esse non potest, nisi honestè vivatur. Ergo &c.

Dices. Quo usi sumus argumento, eodem suaderi posset multorum Deorum cultum securiorem existere. Nàm si Dii multi existant, nèc colantur, magnum incurrimus periculum. Si verò unicus sit Deus, multique colantur, nihil indè periculi nascitur. Ergo &c.

Nego ans. Discrimen illud est, quod si Deus unicus existat, multique colantur, periculum incurritur gravissimum. Non enìm ullo modo licitum est arbitrio nostro jura divinitatis dividere; cultumque soli verò Numini debitum fictitiis Diis impendere. Ergo &c.

De variis existentiæ Dei demonstrationibus.

Superioribus jàm demonstratis propositionibus ad expendendam, optandamque supremi Numinis existentiam animos præparavimus. Itaquè nunc exponendæ sunt variæ demonstrationes quibus adstruitur. Triplicis potissimùm generis argumenta sunt, quibus Deum existere demonstratur; alia Metaphysica dicuntur, quæ ex ipsis Dei attributis, aut ejus ideâ

sumuntur; alia physica, quæ ex orbis universi consideratione, & in nosmetipsos reflexione petuntur; alia moralia, quæ ex hominum testimonio, sensibusque interioribus depromuntur.

Ut autem argumentum ad revincendos etiam Atheos sit efficax, necesse non est ut ex eo conficiatur existere Deum omnibus cumulatum perfectionibus, qualis à Christianis adoratur. Cùm enim in eo consentiant Athei omnes aut mundum pulcherrimum, qualis nunc conspicitur, æternum esse & necessarium; aut saltèm necessariò existere materiam quæ fortuito quodam casu, nullâ verò ratione aut consilio fuerit ordinata, & in suo perseveret ordine. Contrà Atheos existere Deum efficitur, si probetur existere ens supremum à rerum universitate omninò sejunctum; quod rerum mundanarum procurationem habeat, sit scelerum vindex, virtutisque remunerator.

Quamvis etiam Deus sit orbis universi creator, infinitè perfectus, immensus & immutabilis, earum tamen perfectionum cognitio, quæ neque apud omnes homines viget, nèc unquàm universalis fuit, necessaria non est ut religionis universim spectatæ, aut revelationis ipsius fundamenta ponantur, & stabiliantur.

Demonstratur existentia Dei argumentis Metaphysicis.

Nàm Deus est ens æternum, necessarium, independens &c. Atqui existit ens æternum, necessarium, independens &c. Quæ totidèm propositionibus demonstrantur. Itaquè sit.

PROPOSITIO I.

Existit Ens æternum.

Demonstratur. Nàm vèl existit ens æternum, vèl entia omnia quæ existunt, aliquandò fuerunt in nihilo. Atqui repugnat omninò entia omnia quæ existunt, aliquandò fuisse in nihilo. Ea quippè vèl è nihilo educta fuissent ex necessitate naturæ suæ, vèl sibimet existentiam ipsa dedissent, vèl illam à nihilo accepissent, vèl à casu & fortunâ: atqui hæc omnia perindè absurda sunt.

1°. Necessitate naturæ suæ non potuerunt è nihilo educi. Supponuntur enim non sempèr extitisse: atqui quod ex necessitate naturæ suæ existentiam habet, non potest sine contradictione supponi non existens; cùm necessariò existat, seu repugnet id non existere. Ergo &c.

2°. Non sibimet existentiam ipsa dederunt. Nèc enim res ulla potest esse sui ipsius causa; alioquin existeret simùl &

non existeret; quod est contradictorium.

3°. Existentiam à nihilo non acceperunt; cùm nihili nulla sit virtus, aut efficientia.

4°. Non à casu aut fortunâ, quæ vana sunt sine re nomina. Vèl enìm sunt ens æternum, vèl non æternum. Si primum, ergo conceditur existere ens æternum; quod casum aut fortunam placet appellare: de nomine autèm certandum non est. Si secundum, ergo ens illud supponitur è nihilo deductum, nèc tamèn potuisse è nihilo deduci: quod absurdum est. Ergo existit ens æternum.

Nihil certè perspicuum magìs, quàm existere ens æternum; quod Athei omnes uno ore fatentur. Tamèn si cogitatione conamur assequi, quomodò sit æternum; id animo non valemus comprehendere. Mens enìm nostra sempèr initium aliquod in illius entis duratione fingit; nèc potest ullatenùs capere quomodò duratio infinita jàm elapsa fuerit. Ex quo in promptu est, quædam accuratè posse demonstrari vera, licèt nullatenùs intelligatur *quomodò* vera sint; quod Mathematicis notissimum est & familiare. Idque ex eo oritur quod completam illorum ideam non habeamus. Hinc intelligere est quàm arctis limitibus concludatur hominum intelligentia; quàmque stulta eorum

temeritas, qui nihil admittendum esse contendunt; nisi mens nostra clarè cognoscat non solùm propositionem esse veram, sed etiàm quo modo & quâ ratione vera sit.

PROPOSITIO II.

Existit Ens necessarium.

Demonstratur. Nàm ens necessarium illud est quod necessariò & ex naturâ suâ existit, ut sine contradictione supponi non possit non existens. Atqui existit ens hoc sensu necessarium. Vèl enìm existit ens quod ex naturâ suâ existentiam habeat, vèl entium omnium existentium nullum est, quod ex se & ex naturâ suâ ad existendum determinetur. Si nullum sit quod ex seipso, & ex naturâ suâ existentiam habeat; ut extiterint, debuerunt ab altero quodam ente existentiam accipere: non enìm potuerunt eam sibi dare, cùm res nulla possit esse sui ipsius causa. Atqui illud apertè contradictorium est. Etenìm pratèr entia omnia existentia, nullum est alterum jàm existens, à quo potuerint existentiam accipere. Ergo &c.

Et verò si entium omnium existentium nullum sit, quod ex se & ex naturâ suâ existentiam habeat; entia omnia existentia facta fuerunt & è nihilo educta. Jàm verò vèl facta fuerunt ab aliquo ente intrà collec-

tionem existentium omnium contento, vel ab aliquo extrà collectionem illam posito. Neutrum dici potest Non primum: alioquìn illud ens sibimet existentiam dedisset, cùm fecisset entium collectionem, quâ ipsum continetur. Non secundum: quippè extrà collectionem entium omnium existentium alterum nullum est. Ergo &c.

2°. Vèl existit ens necessarium, vèl entia omnia tùm distributivè, tùm collectivè sumpta sunt facta, & è nihilo educta; vèl collectio entium est necessaria, quamvìs entia omnia sint facta. Atqui duo posteriora absurda sunt. 1°. Fieri non potest ut entia omnia, tùm distributivè, tùm collectivè sumpta sint facta. Etenim aut sibi dedissent existentiam, aut à nihilo accepissent; quod utrumque repugnat. 2°. Si entia omnia, tùm distributivè, tùm collectivè sumpta sint facta; collectio entium non potest esse necessaria. Cùm collectio aliud nihil sit, nisi singula & omnia entia.

Tùm quià collectio se habet ad singula entia, sicut totum ad omnes & singulas partes: atqui totum aliud nihil est prætèr omnes & singulas partes. Ergo nèc collectio. Tùm quià si singula entia sint facta, qui eodem intuitu entia videret omnia, jure meritò posset asserere

hæc omnia esse facta. Atqui collectionem entium videret, qui eodem intuitu omnia conspiceret. Ergo &c.

Tùm quià collectio hominum cæcorum non potest esse occulata, nec lapidum collectio potest esse rationis particeps, eò quod hominum aut lapidum collectio aliud nihil sit prætèr singulos & omnes aut lapides aut homines. Ergo similitèr collectio entium necessaria esse non potest, si entia omnia & singula sint facta.

Et verò vèl entium omnium collectio est natura quædam à singulis & omnibus distincta, vèl non. Si primum; ergo sub nomine collectionis existit ens necessarium. Si secundum; ergo cùm entia omnia & singula facta supponantur, ipsa collectio est facta, non necessaria.

Obj. 1°. Ideò probatur ens necessarium existere, quià repugnat entia omnia quæ existunt esse facta & è nihilo educta: atqui id non repugnat. Etenìm designentur entia per litteras *A*, *B*, *C*, &c. porrò supponi potest ens *A* factum fuisse ab ente *B*, ens *B* ab ente *C*, sicque sine fine. Hâc autèm in suppositione entia omnia fuissent facta; nèc ideò existeret ens necessarium. Atqui suppositio hæc nihil habet absurdi. Ergo &c.

N. primam & secundam min. & dico

suppositionem hanc absurdam esse. Eòdem quippè recidit, ac si supponeretur existere ens aliquod ab æterno, quod esset factum, nèc tamèn ullam causam haberet. Cùm ens illud infinitæ entium sibi succedentium collèctioni æquivaleret, & correspondèret; atqui contradictorium est admittere ens factum, quod tamèn nullam causam habeat. Ergo &c.

Et verò idem esset ac si supponeretur catena quædam ferrea in terram perpendicularis, atquè in infinitum protensa; quæ ideò dumtaxàt diceretur suspensa; quià primus annulus terræ contiguus sustineretur à secundo, secundus à tertio, sicque in infinitum, sine ullâ causâ quæ catenam integram sustineret. Atqui hæc suspensionis ratio esset absurda. Quid enìm? Catena decèm aut centùm annulis constans non posset esse in aëre pensilis, quìn ab aliquâ causâ suspenderetur; & catena infinitis annulis contexta, proindè que gravitatis infinitæ sola & sine ullâ causâ sustineretur pendula? An verò potest aliquid esse absurdum magis? integra tamèn est paritas. Nàm in serie causarum sibi succedentium infinitâ, ultimus effectus nunc existens producitur & velùti sustineretur à causâ præcedente, sicque in infinitum. Proindè effectus esset infinitus, seu infinita effectuum successio,

quæ causam nullam haberet: atqui illud absurdum est. Sivè enim effectus sit finitus, sivè infinitus, est sempèr effectus: atqui de essentiâ effectus est, ut non sit sine causâ. Ergo integra illa, quamvìs infinita effectuum successio, debet à primâ quâdam causâ proficisci. Ità fermè Clarkius.

Instabis. In prædictâ suppositione nullum ens existeret sine ratione sufficiente, aut sine causâ; cùm unumquodquè ab altero præcedente fuisset productum. Ergo &c.

N. ans. Quamvìs enim in æternum usque causa prima sensìm retrò agatur, sicque ejus necessitas auferri videatur & evanescere, eo quod in æternitate nihil primùm sit; tamèn cùm tota entium successio simùl consideratur, evidens est causam quamdam primam esse necessariam. Idem enìm est, ut jàm dixi, ac si supponeretur unicum ens æternum quod esset factum; quod certè totique entium ab æterno ad hanc usquè diem sibi succedentium collectioni æquivaleret. Atqui si ens illud sit factum, etiamsi æternum dicatur, non minùs causa prima necessaria est. Ergo &c.

Dices. Entia potuerunt alia ab aliis in girum & circulum effici. Hâc autèm in suppositione entia omnia essent facta, nèc

tamèn ullum existeret ens necessarium. Ergo &c.

N. maj. 1°. proptèr responsiones jàm allatas.

2°. Quià si entia omnia facta fuissent alia ab aliis in girum & circulum, entia duo sibi mutuò existentiam dedissent saltèm mediatè : quod est absurdum.

3°. In Atheorum sententiâ nullum ens existit aut existere potest prætèr homines, & corpora tùm cœlestia, tùm terrestria, ex quibus orbis universus conflatur. Si autèm hæc entia alia ab aliis in circulum producta fuerunt; quæro utrùm homines à corporibus, sivè cœlestibus, sivè terrestribus facti fuerunt; an corpora sivè terrestria, maximè cœlestia ab hominibus? Cùmque homo constet ex animo & corpore simùl unitis; quæro an animus necessariò, an liberè corpori unitus fuerit; an unio corporis cum animo ab homine oriatur, an verò à corporibus sivè cœlestibus, sivè terrestribus? Quæ quidèm omnia totidèm sunt absurda. Ergo &c.

Obj. 2°. Concludimus entium collectionem factam esse & contingentem, eo quod entia singula sint contingentia. Atqui consecutio hæc non est legitima. Nàm ex axiomate, à sensu distributivo ad collectionem non valet consecutio. Ergo &c.

N. min. Ad probationem distinguo antecedens.

recedens. A sensu distributivo ad collectivum non valet consecutio in attributis quæ sunt distributionis aut collectionis propria: c. ans. In attributis quæ non sunt distributionis aut collectionis propria: n. ans. & conseq.

Equidèm in attributis quæ ex solâ distributione aut collectione pendent, à sensu distributivo ad collectivum consecutio non est legitima. Sic ex eo quod singuli milites non sint exercitus, malè concluderetur militum collectionem non esse exercitum, eo quod attributum illud *exercitus* sit collectionis proprium; ipsamque militum collectionem significet.

Verùm si de attributis agatur, quæ in distributione ipsâ, aut collectione non fundantur, consecutio est legitima. Sic rotunditas circuli quæ neque à distributione nèc à collectione pendet, circulis omnibus convenit, tùm collectivè, tùm distributivè sumptis.

Jàm verò contingentia de quâ hîc agitur, attributum est, quod non fundatur in collectione aut distributione: est enìm attributum entibus essentiale. Atqui attributum essentiale nèc in distributione, nèc in collectione fundatur; ut patet exemplo rotunditatis, quæ circulis sivè distributivè, sivè collectivè sumptis con-

venit, eo quod sit attributum circuli essentiale. Ergo &c.

Instabis. Atqui in attributis etiàm essentialibus à sensu distributivo ad collectivum non valet consecutio. Nàm producibilitas est attributum essentiale cujuslibet entis contingentis. Atqui tamèn ex eo quod entia singula contingentia produci possint, concludi non potest eorum collectionem esse simùl producibilem. Nàm potentia Dei ut potè quæ sit infinita, non potest exhauriri, nèc dari potest infinitum infinito majus. Atqui si contingentium omnium collectio producta suponeretur, jàm omnipotentia Dei esset exhausta, cùm nihil ulterius esset producibile; infinitum etiàm infinito majus existeret. Nàm homines existentes infiniti essent, & certè capillorum numerus major esset. Ergo &c.

N. subs. Ad cujus probationem, 1°. n. maj. Nàm producibilitas non ab entibus solis contingentibus suspensa est, sed maximè à causâ efficiente ipsis extrinsecâ, quæ sufficientem vim habeat, ut ea possit efficere. Ergo non est attributum illis entibus intrinsecum & essentiale.

2°. Minorem propositionem negant multi Philosophi. Nàm, inquiunt, etiàmsi collectio entium contingentium producta supponeretur, non ideò exhausta esset Dei

omnipotentia, cùm eadem entia posset destruere, iterùmque producere. Vèl quamvìs exhausta supponeretur, in hoc nihil esset absurdi; cùm absurdum non magìs sit potentiam infinitam exhauriri per infinitam productionem, quàm intelligendi vim infinitam per cognitionem infinitam.

Quod autèm ad alterum objectionis caput attinet, doctissimus Fontenellius aliique multi infinitum admittunt infinito majus, cùm apud ipsos varii sint infinitorum ordines, variæque potentiæ. Eoque utuntur exemplo quod in objectione positum est. Quarè propositæ objectionis principia cùm nequè certa sint, nèc apud Philosophos confessa, ex iis nihil potest deduci quod propositionem nostram evertat.

Dices. Non magìs vera est hæc propositio vèl existit ens necessarium, vèl entia omnia sunt facta & contingentia, quàm ista, vèl existit animal rationale, vèl animantia omnia sunt irrationalia: atqui posterior propositio falsa est. Datur enìm medium; cùm fieri possit ut animal rationale sit dumtaxàt possibile. Ergo &c.

N. maj. Ut enìm paritas esset integra, sic institui deberet: *vèl existit animal rationale, vèl animantia omnia quæ existunt,*

irrationalia sunt. Quæ propositio vera est, nèc ullum patitur medium.

Insupèr si quod esset medium intèr duas propositionis nostræ partes, maximè istud, ens necessarium est dumtaxàt possibile; atqui illud medium non est. Cùm enìm entis necessarii essentia necessariò existentiam postulet; si ens necessarium supponitur possibile, hoc ipso existit. Ergo &c.

Instabis. Ens necessarium supponi potest merè possibile. Ergo datur medium intèr duas partes nostræ propositionis.

N. ans. proptèr superiorem responsionem.

Instabis. Ens necessarium illud est, quod si existat, existit necessariò. Ergo existentiam habet necessariam necessitate tantùm hypoteticâ, non verò absolutâ. Quarè supponi potest tantummodò possibile.

N. ans. Quod contradictionem involvit. Conceditur enìm ens necessarium, si semèl existeret, extiturum esse necessariò. Atqui necessariò non extiturum esset, nisi existentiæ necessitas absoluta dicatur. Nisi enìm existentiæ necessitas esset absoluta, supponi posset non existens; quo supposito, ejus existentia necessaria non esset, sed contingens, cùm posset esse vèl non esse. Ergo &c.

Quocircà cùm ens contingens illud sit quod supponi potest existens aut non existens, ens necessarium illud esse debet, quod nunquàm supponi potest non existens; quod sine contradictione dici non potest non existens, seu cujus non existentia, ut alii loquuntur, omninò impossibilis est. Atquè hinc est quod Athei, qui materiam necessariam esse contendunt, dicant fieri non posse, ut unquàm in nihilo fuerit aut futura sit.

PROPOSITIO III.

Ens necessarium est independens.

Demonstratur. Si ens necessarium ab alio dependens esset, vèl in esse, ut aiunt, vèl in operari. Atqui neutrum dici potest. 1°. Ab altero ente non pendet ratione existentiæ. Ens enìm necessarium ex naturâ suâ ità existit, ut non possit sine contradictione non existens supponi. Ergo ab alio quoad existentiam non pendet. Verbo dicam, cùm ejus existentia necessaria sit, eam ab altero ente nec habere potest, nec amittere.

2°. Ens necessarium in suis operationibus ab alio non pendet. Ens enìm necessarium illud est cujus essentia & proprietates, intèr quas facultates reperiuntur, existere necessariò exigunt. Cùm enìm existentia quælibet non sit aliquid essen-

tiæ rei superadditum; ens non potest esse necessarium, nisi quià ejus essentia, facultates, perfectiones, existentiam necessariò requirunt. Si facultates illius entis necessariò existant, sunt à quovis alio independentes. Atqui si facultates sint à quovis alio independentes, actiones & operationes non possunt ab alio pendere. Nàm actiones & operationes sequuntur ex facultatibus, & ab illis solis oriuntur. Ergo ens necessarium in suis etiàm operationibus à quovis alio est independens.

Ex demonstratis jàm propositionibus evidentèr concluditur existere ens necessarium & supremum, ab orbe universo sejunctum. Quisquis cordatus & præjudiciorum expers, si tantispèr ad suas corporumque extraneorum affectiones attendat, facilè percipiet hæc entia non esse independentia: eadem non esse necessaria, vel ex eo solo clarè cognoscet, quod sivè seorsìm, sivè collectivè sumantur, nullum sit quod non possit cogitari non existens. Id autèm concipi non posset, si existendi necessitate donarentur; quemadmodùm extensio realis concipi non potest indivisibilis, eo quod divisibilitas sit ejus proprietas essentialis.

Fatendum tamèn prædictis propositionibus Atheorum pertinaciam non retundi; cùm illi materiam necessariò existen-

tem asserant. Quare adversùs illos jàm demonstratis propositionibus utemur tanquàm lemmatibus, ut orbis universi Creatorem, sapientissimumque moderatorem Deum existere demonstremus.

Demonstrationes Physicæ.

Jàm monuimus demonstrationum physicarum nomine eas à nobis intelligi; quæ ex rerum physicarum & naturalium, scilicèt orbis universi consideratione petuntur. Itaquè ex objecto, circà quod versantur, nomen istud accipiunt, non ex motivo, non ex certitudine quam pariunt, quæ profectò Metaphysica est, omniumque maxima. In illis enim argumentis, ut patebit, præmissæ sunt metaphysicè certæ, & ex illis evidentèr concluſiones deducuntur.

I. *Existentiæ Dei demonstratio physica.*

Ex Creatione.

Dei nomine intelligitur Ens creator. Atqui existit ens creator, quod multis argumentis demonstratur.

Argumentum primum ab hominum animis petitum.

Suppono quod suo loco demonstrabitur hominum animos res esse substantiales, ab eorum corporibus essentialitèr di-

versas; nullamque cogitationem esse posse corporis affectionem. Animus humanus est ens creatum; si contingens sit, non necessarium: atqui animus humanus est ens contingens, non necessarium, & independens. Nàm animus variis afficitur sensationibus modò jucundis, modò ingratis: atqui sensationes illæ originem ducunt ab ente supremum dominium in animum meum exercente. Vèl enìm ab ente illo præpotente sensationes oriuntur, vèl ab ipso animo, vèl à corporibus. Non enìm in animo necessariæ sunt, ut quisque experitur. Atqui 1°. sensationes illas non sibi dat animus. Nàm si sensationes illas animus sibi daret; jucundis, cùm vellet perfunderetur, ingratis non cruciaretur. Contrarium tamèn sensu intimo certum est. Ergo sensationes illas non sibi dat animus.

2°. Sensationes à corporibus non efficiuntur. Tùm quià corpora extensa in animum simplicem, & inextensum agere non possunt; tùm quià etiàmsi agere posse supponerentur; certè aliud nihil nisi motum in animo efficere queunt: atqui sensationes gratæ & ingratæ non sunt animorum motus. Nàm motus secundùm lineam rectam aut curvam quamlibet omninò diversus à sensationibus concipitur: nec esse potest homo adeò rudis & men-

tis inops, qui non ſtatìm intelligat ſenſum ſuaviſſimum vèl moleſtiſſimum quem variæ ſenſationes pariunt à correſpondentiâ variis locis ſucceſſivâ penitùs differre. Ergo corpora ſenſationes animorum non efficiunt. Proindèque oriuntur ab ente ſupremum dominium in animum exercente, quod eum felicem aut miſerum reddere poſſit.

Pbr. 2°. Idem probatur ex idearum efformatione. Supponatur homo cujus oculi à nativitate clauſi montis in cacumine ſubitò aperiantur. Statìm ejus in animo efformantur rerum innumerarum cognitiones, quæ varios variorum corporum ſitus, diverſaſque diſtantiæ à ſe invicèm relationes exhibent. Atqui ſtupendam illam tàm diverſarum idearum copiam in unico inſtanti animus ipſe ſaltèm ſolus non efficit. Cùm magnificum illud & inexpectatum miretur ſpectaculum, penitùs ignorans quâ ratione, quâ virtute tot jucundæ rerum cognitiones ſubitò natæ fuerint; quæ clauſis oculis protinùs evaneſcunt; apertis autèm oculis ſtatìm vèl ipſo invito redeunt. Nèc etiàm à radiis ſolaribus efficiuntur: tùm quià radii ſolares ab illis cognitionibus eſſentialitèr differunt, nèc in animum agere poſſunt; tùm quià in tenebris & intèr ſomnum eædem renaſcuntur cognitiones. Ergo ideæ illæ ab ente ſupre-

mum dominium in mentem exercente ducunt originem.

Et veró si necessariò existeret animus, ideas suas solus ipse efficeret. Ergo posset quidquid vellet pro nutu cognoscere; quod experientiæ contrarium est.

Probatur 3°. ex recordatione. Pendet reminiscentia ex quâdam corporis dispositione; ut ex eo patet quod morbis quibusdam omninò deleatur memoria. Atqui sublato ente, quod supremum habeat in animos & corpora dominium, ex nullâ corporis dispositione suspensa esse posset præteritorum recordatio: cùm intèr idearum reditum, & corporis quamlibet dispositionem connexio nulla sit. Imò reminiscentia non in solo idearum præteritarum reditu consistit, sed in earum recognitione, quâ persuasum habemus ideas illas jàm olìm habitas fuisse. Atqui etiamsi reditus idearum posset ex quâdam corporis dispositione generari, ab illâ pendere non potest idearum recognitio, quâ persuasum habemus ideas jàm olìm habitas fuisse. Nèc enìm aliquid est aut in corporis dispositione nobis incognitâ, aut in ipsis ideis quod præteritam earumdem in animo existentiam declarare possit & ostendere. Ergo hæc intima persuasio ab illo ente solo gignitur, quo reguntur hominum animi.

Et verò si necessarius existeret animus noster solus esset reminiscentiæ causa. Ergo posset pro nutu quascumque vellet ideas revocare : quod experientiâ falsum esse constat.

Probatur 4°. ex facultatum nostrarum limitatione. Angustis admodùm limitibus continetur intelligendi vis animis nostris insita. Quæ quidèm limitatio non ex animorum naturâ necessariò oritur; cùm in aliis minor, in aliis major existat & expeditior. Nèc etiàm sublato Deo ex quâdam corporis dispositione religata penderet; cùm intèr intelligendi vim & corporis dispositionem nulla sit connexio necessaria. Ergo hæc limitatio supremum entis præpotentis in animos nostros dominium arguit. Quod etiàm ex dictis de idearum efformatione sicut & reminiscentiâ confirmatur.

Probatur 5°. Si hominum animi necessarii essent, ab æterno existerent. Jamverò vèl ab æterno cogitavissent, vèl non : neutrum dici potest. Non secundum : cùm enìm animus necessarius solus sit omnium idearum suarum & recordationis causa efficiens, impedire nihil potest, quominùs cogitet. Non primum, quo enìm fato contingéret ut eorum omnium quæ per totam retrò æternitatem cognovisset oblitus, in tantâ rerum omnium ignorantiâ

versaretur? Quî fieri posset, ut saltèm de suâ cum corpore unione nòn recordaretur? Ergo animus non est æternus, nèc proindè necessarius.

Tandèm concipitur mentem nostram posse non existere; imò concipiuntur animi perfectiores non existentes. Atqui si animus esset ens necessarium, concipi non posset non existens. Quamvis enìm rerum proprietates omnes non cognoscamus; tamèn ens aliquod concipere non possumus cum attributo proprietatibus ipsius repugnante: ex. gr. ex eo quod divisibilitas sit corporis extensi proprietas, corpus extensum simùlque indivisibile cogitare non possumus. Ergo animus non est ens necessarium, sed contingens & factum. Ex quo sequitur ens aliquid existere, quod sit creator.

II. ARGUMENTUM.

Ab unione mentis cum corpore.

Demonstratur. Unio mentis cum corpore vèl oritur ab ente supremum dominium in corpus & animum exercente, vèl ab animo, vèl à corpore efficitur. Neutrum posterius dici potest. Non primum: si enìm unio hæc ab animo oriretur vèl necessariò, vèl liberè. Non necessariò: alioquìn hæc unio esset insolubilis. Non liberè: nàm si res ità se haberet,

animus posset pro nutu sibi corpus alligare, semèl assumptum deponere, aliudque eligere : quod experientiæ adversatur.

2°. Hæc unio non oritur à corpore. Quis enìm tàm mentis inops esse potest ut existimet fœtum corporis imbecillum, inertem, cogitationis omnis expertem posse sibi animum accersere, in illum agere, eumque ità secum conjungere, ut animus non queat à corpore pro nutu separari ? Ergo existit ens quod supremum dominium in corpus & animum exercens, ea intèr se pro nutu conjungat, & separet. Non ergo sunt entia necessaria, sed creata.

III. Argumentum.

Ab existentiâ motus.

Demonstratur. Causa efficiens motûs est numen præstantissimæ mentis, quo mundus regitur ; vèl motus corporibus essentialis est, vel singula corpora suum efficiunt motum : absurdum enìm esset, cum Spinosâ & Epicureis quibusdam asserere corpora alia ab aliis successivè, & in infinitum mota fecisse sine primâ causâ motrice ; ut patet ex iis quæ dicta sunt cùm seriem infinitam causarum refutavimus. Atqui 1°. motus non est corporibus essentialis, quod adeò perspicuum est, &

apud omnes Philosophos confessum, ut primum illud Physicorum principium sit: *corpus omne ex se ad motum & quietem indifferens est.* Tùm quià non modó concipiuntur corpora quiescentia, sed ea interdùm quiescere sensus omnes testantur. Tùm quià si motus essentialis existeret, ejus directio, quantitas, & velocitas determinatæ similitèr essent essentiales; quæ experimentis adversantur.

2°. Corpus in se motum non efficit: quod etiàm luce meridianâ clariùs est. Tùm quià corpus ex se iners est & otiosum, ut fatentur omnes; tùm quià antè quiescere debet, quàm motum suum efficiat. Corpus autèm quiescens in eodem sempèr statu perseverat, donec ab aliquâ causâ externâ moveatur, ut experientiâ constat. Tùm quià ex omnibus nulla esse potest in corpore activitas, nisi sit vis ipsius motûs. Quare vim nullam antè habet, quàm moveatur. Ergo in instanti quo nondùm movetur, vi nullâ pollet ut motum suum valeat efficere. Verùm in re perspicuâ immoror diutiùs. Ergo corporum motus efficitur ab ente quod supremum in corpora dominium habeat.

ARGUMENTUM IV.

Ab existentiâ materiæ.

Materia est ens contingens, non neces-

sarium. Illud enim non necessariò existit in cujus ideâ non includitur existendi necessitas. Non enim aliâ ratione de rerum naturis certò judicare possumus, quàm ex earumdem rerum ideis. Sic triangulum à quadrato diversum asserimus, quod ideis diversa repræsententur. Atqui in ideâ, materiæ aut cujuslibet corporis non includitur existendi necessitas. Quod enim concipitur non existens, ejus in ideâ non includitur existendi necessitas. Sic rotunditas ceræ necessaria non est, quia ceram concipimus modò rotundam esse modò quadratam &c. Atqui materiam, singulaque corpora concipimus non existentia, ut lapidem, arborem, stellam aut omnia simul. Id etiàm patet ex vacuo ab Epicureis, omnibusque nunc Philosophis admisso, quod aliud nihil est nisi corporis non existentis possibilitas. Ergo &c.

2°. Ex ipsâ corporum divisibilitate, evidens est figuram specialem & determinatam nullam esse singulis corporibus necessariam; quod etiam experientiâ quotidianâ compertum habemus. Sic moles cerea sine ullo naturæ suæ detrimento in globum, aut cubum facilè compingitur. Atqui apertè contradictarium est materiam existere necessariò, nullamque figuram specialem & determinatam esse corporibus necessariam. Singulæ quippè por-

tiones materiæ cum ab æterno determinatâ quâdam figurâ indutæ fuerint, eam à se ipsis perindè ac existentiam habuerunt. Ergo cum existentia ex eo necessaria sit quod illam à se ipsis habuerint, eâdem de causâ requiritur, ut figura hæc determinata fuerit necessaria: quod absurdum est.

3°. Quod est omninò dependens & passivum non potest esse ens necessarium. Atqui materia, quodlibet corpus dependens est & passivum; cum ab ente supremo motum accipiat; ut demonstratum est.

ARGUMENTUM V.

Ex Novitate mundi.

Fastos mundi si velimus evolvere, reperiemus populorum omnium annales, certaque temporum monumenta non ultra sex annorum millia proferri. Illud rerum omnium verbo Dei facturum initium posuit scriptorum antiquissimus Moyses, qui hominum generis historiam serie generationum non interruptâ ad suum usque tempus perduxit, gentiumque vetustissimarum origines complexus est.

Intrà idem temporis intervallum continentur imperiorum omnium exordia, Legislatorum, qui homines ad societatem vitæque communitatem vocaverunt, ætates, religionum Ethnicarum initia, progressus, variationes.

Jamverò si genus hominum ab æterno propagaretur; floreret quædam natio, quæ æternam suam originem laudaret, aut eam ità removeret, ut tempus quodlibet assignatu msempèr antecederet. Cùm enim nationibus nihil pluris sit, quàm cœteras gentes antiquitate superare; nihilque hominibus jucundius, quàm remotissimarum rerum cognitio; quî fieri posset, ut gens nulla suam jactaret æternitatem aut antiquitatem tantam, ut initium quodcumque factis superioribus sempèr removendum esset: ut scriptor nullus vetustissimorum hominum mores, vivendi rationem, res gestas, variorum regnorum leges, fœdera, bella, religiones describeret. Cùmque in hominibus omnibus, in maximis præsertim splendidissimisque ingeniis plerùmque existat gloriæ, famæ, honorum cupiditas tanta, ut pericula quæque audaces adeant, dummodò possint nomen suum immortalitati consecrare: quo tandèm fato contigit, ut homines annorum sex millibus antiquiores præclara facinora ad posteros non transmiserint, nec certis monumentis nomen suum posteris æternum facere curaverint. Quod argumentum sic exponet Lucretius.

Præterea si nulla fuit genitalis origo
Terrarum & cœli, semperque æterna fuere.
Cur supra bellum Thebanum & funera Trojæ

Non alias alii quoque res cecinere Poëtæ.

2°. Recens est & nova scientiarum omnium, bonarumque artium sivè ad vitæ usus, sivè ad utilitatem, sivè ad oblectationem necessariarum inventio. Authores novimus & parentes Agriculturæ, Philosophiæ, Astronomiæ, Matheseos, Chirurgiæ, Astronomiæ, Artis nauticæ, Medicinæ, Picturæ, Musices &c. Quæ quidem disciplinæ omnes, artesque multis antè assignatam earum originem sæculis inventæ fuissent, & ad perfectionem deductæ, si homines ab æterno generarentur. Cùm enim tàm vehemens sit in hominibus scientiæ cupiditas, mentisque agitatio, nunquàm acquiescat; quis sibi persuadeat in totâ retrò æternitate neminem repertum fuisse, quem non usus vitæ necessarii, utilitates, commoda, oblectationes impulerint, ut ad excogitandas artes illas, perficiendasque tempus & diligentiam adhiberet?

Ergo mundus novus est recensque conditus. Proinde existit ens necessarium mundi creator.

Solvuntur objectiones.

Mirùm vobis accidere non debet, si quæ sequuntur objectiones, plerùmque levissimæ videantur. Non enim validiores

ab Atheis proponuntur, aut in re tàm certâ proponi possunt.

Ob. 1°. animus humanus quædam est modificatio, non res substantialis. Ergò ab existentiâ mentis humanæ demonstrari non potest ens, quod sit creator, existere.

N. ans. Nam cogitationes nostræ ut sensatio soni, dolor &c. sensum sui excitant, profectò non in corpore, cujus affectiones esse non possunt, ut in posterum demonstrabitur; ergo in animo. Proindèque animus est illarum cogitationum subjectum, seu res substantialis.

Ins. si mens nostra sit ens substantiale; necessarium est, non contingens. Nam ens substantiale est ens per se existens: atqui ens per se existens necessarium est, non contingens. Quid enim est per se existere, nisi existere à seipso, & ex naturâ suâ? Ergo &c.

Dg. maj. ens substantiale est ens per se existens, id est, existens sine subjecto cui inhæreat. C. maj. id est existens à se, necessariò, & ex naturâ suâ. N. maj. & sic dist mi. N. cqm. cum Philosophi substantiam definiunt ens per se existens; his vocibus intelligunt ens existens sine subjecto cui insit, & quidèm per oppositionem ad accidens quod sine subjecto cui inhæreat existere non potest: idque apud omnes in confesso est. Ergo ens substan-

tiale non idcircò est ens quod à se & ex naturæ suæ necessitate existat.

Ins. Ex concessis animus est substantia contingens. Atqui hoc ipso non probatur eum esse creatum. Ergo &c.

N. mi. Cùm enim neque à se ipso, nec à nihilo potuerit existentiam habere, debuit ab alio ente, & quidèm necessario illam accipere. Ergo est ens creatum.

Ins. Quod est contingens, id est, indifferens ad existendum vel non existendum, tàm potest ex se & sine causâ existere, quàm non existere : alioquìn non est ad hæc duo indifferens, sed ad alterutrum determinatum. Atqui quod ex se & sine causâ tàm potest existere, quàm non existere; id probari non potest ab alio creatum. Ergo &c.

N. maj. Ens enìm ad status duos indifferens, quorum alter positivus est, alter negativus, ex se remanet in statu negativo, nisi adsit causa quâ positivum ad statum transferatur. Sic corpus ad quietem & motum indifferens, ex se ipso quiescit, donec ab aliquâ vi motrice aut impellatur, aut attrahatur. Cujus ratio ex eo evidens est, quod status negativus cùm sit nihilum, nullam requirat causam; contrà verò status positivus. Atqui ens quod potest existere vel non existere, hoc ipso ad status duos indifferens est, quorum al-

ter positivus est, alter negativus. Ergo requiritur causa, quâ determinetur ad existendum.

Ob. 2°. Tritum est sermone adagium, receptumque ab omnibus axioma, ex nihilo nihil fieri. Ergo non existit ens creator.

Dg. ans. Ex nihilo nihil fit, id est, nihilum non potest esse rei positivæ causa aut materia. C. ans. id est, res de non existente existens fieri non potest. N. ans. & cqm. hoc sensu ab omnibus explicatur laudatum axioma. Nam quisque sibi conscius est novas quotidiè ab animo affectiones produci, quæ anteà non existebant, Atqui affectiones illæ sunt quædam positiva, utpote quæ sensum sui faciant, & quidèm vividum. Ergo res de non existente existens fieri potest.

Ins. Res substantialis puta corpus non potest fieri de non existente existens. Nam corpus non potest fieri de non existente existens, nisi per virtutem & potentiam substantiæ cujusdam spiritalis efficiatur. Atqui substantia spiritalis materialem efficere non potest. Ergo &c.

N. mi. Nam ut jam probatum est, corpora sunt entia creata; corpus autèm non potest aliud corpus efficere. Ergo per substantiam spiritalem creata sunt.

Ins. Causa efficiens debet effectum suum continere formalitèr; atqui substantia spi-

ritalis materialem non continet formalitèr; nec intelligitur omninò quâ ratione eam eminentèr continere possit. Ergo &c.

N. maj. falsum est prædictum axioma, quod originem ducit ex generationibus; in quibus mater filii sui quem formalitèr continet, causa efficiens esse videtur. Cùm tamèn in matre fœtus potiùs efformatur, quàm mater eum informat, aut efficit.

Enimverò in Atheorum sententiâ animus noster est causa efficiens motus Brachii, imò & corporum, quæ Brachio moventur. Atqui tamèn animus motum illum non continet formalitèr: nec ipse movetur cum Brachium, aliaque corpora movet. Ergo necesse non est ut causa effectum suum formalitèr contineat.

2°. Fateri tenentur Athei animum nostrum esse causam efficientem idearum omnium & amorum: atqui certè ideas illas formalitèr non antè continet, quàm eas efficiat. Non enìm idearum productione opus esset, si jam formalitèr eas haberet. Ergo necesse non est ut causa effectum suum formalitèr contineat. Atque hæc est Philosophorum omnium sententia.

Etverò jam demonstratum est corpora esse entia dependentia, & creata. En factum quo nihil evidentius demonstrari potest. Factum autèm certissimum incerto,

nullaque ratione nixo axiomate non rejicitur. Ergo saltèm à posteriori constat necessarium non esse, ut causa effectum suum formalitèr contineat.

Ins. nemo dat formalitèr, quod non habet formalitèr. Ergo substantia spiritalis materialem efficere non potest.

N. ans. Quod eodem sensu intelligitur ac major propositio superioris argumenti; ideoque iisdem rationibus rejicitur.

Etverò ens creator per voluntatem agit potentissimam: ut autèm ejus generis causa effectum producat, satis est si effectus sit in se possibilis, & causa velit eum producere. Ergo &c.

Ins. Id solùm affirmandum est, quod percipitur; atqui nulla percipitur connexio necessaria inter voluntatem etiàm potentissimam, & creationem substantiæ materialis. Ergo &c.

Dg. mi. nulla percipitur connexio ab extrinseco scilicet ab effectu. N. mi. nulla precipitur connexio ab intrinseco nempè ab ideâ volitionis potentissimæ, subdistinguo, Nulla percipitur connexio, sed similitèr nulla percipitur repugnantia. C, mi. & percipitur repugnantia quædam. N. mi. & cqm.

Esto, ab intrinseco id est ab ideâ volitionis potentissimæ nulla percipiatur connexio necessaria inter voluntatis illius ef-

ficientiam & creationem ſubſtantiæ materialis. Saltèm inter hæc duo nulla percipitur repugnantia. Etenim ſubſtantia materialis utpotè contingens concipitur determinari poſſe ad exiſtendum. Si verò ad exiſtendum determinabilis ſit, id præ cæteris efficere poterit voluntas potentiſſima. Ergo ab intrinſeco id eſt ab ideis rerum nedùm percipiatur repugnantia inter duo prædicta; potiùs perciperetur connexio.

Verùm ab extrinſeco, id eſt ab effectu connexio neceſſaria percipitur inter voluntatem potentiſſimam & creationem ſubſtantiæ materialis. Nam percipitur materiam eſſe contingentem, & proindè creatam. Atqui creari non poteſt, niſi per voluntatem potentiſſimam. Ergo ab extrinſeco percipitur connexio neceſſaria inter voluntatem potentiſſimam & creationem ſubſtantiæ materialis.

Ins. Quid ſit ſubſtantiam è nihilo deduci & quomodo, nullâ cogitatione aſſequi poſſumus. Proinde quaſi nihilum foret ingens quædam capacitas, quâ res omnes excepto Deo fuiſſent aliquandò contentæ, & ipſo exitu fuerint ſubſtantiæ; aut nihilum poſſet in rem ſubſtantialem mutari? Quæ certè abſurda ſunt.

Et verò corpora quæ quandòque ex oculis evaneſcunt, in auras abeunt, non in nihilum; nulla enim materiæ pars deſtruitur.

Ergo

Ergo nulla fuit è nihilo deducta.

Retorqueo argumentum. Animo comprehendere non possumus quid sit æternitas, nec quomodo ens esse possit æternum. Ergo Atheis negandum est existere ens æternum. Ergo licebit homini cæco concludere nullos esse colores. Ergo falsæ sunt multæ demonstrationes Mathematicæ, quibus non intelligitur quomodo veræ sint propositiones demonstratæ, nec quomodo cum aliis cohæreant.

Itaquè nego censequentiam. Non enim cogitatione complecti possumus quomodo cogitationes nostræ è nihilo educantur; quàmvis illas de non existentibus existentes fieri Metaphysicè certum sit. Ergo similitèr etiàmsi non intelligamus, quo modo res substantialis è nihilo educatur; indè vis demonstrationis non minuitur.

Quæ verò adduntur lepida sunt, sed inepta; ut ex animi nostri affectionibus perspicuum est. Unum id dicimus, res per creationem fieri existentes, cum anteà non existerent. Quàmvis autèm in generationibus corporum aut eorumdem mutationibus nulla materiæ portio creetur, aut destruatur; pessimè concluderetur aut corpora destrui non posse aut creata non fuisse.

Dices cum Lucretio; si de nihilo res fierent,

Nil semine egeret :
E mare primùm homines, è terra posset oriri
Squamigerum genus, & volucres ; erumpere cœlo
Armenta & alia pecudes : genus omne ferarum
Incerto partu culta ac deserta tenerent.
Nec fructus eosdem arboribus constare solerent,
Sed mutarentur : ferre omnes omnia possent.

Ergo è nihilo nihil fit, aut creatur.

Respondeo has quidem ridiculas consecutiones locum habere in absurdo Epicuri systemate, quo vult mundum temerè & fortuitâ atomorum concursione efformatum fuisse. Iisdem rationibus ad omnium captum accommodatis utebaturTullius, ut ostenderet, quam inepta sit Epicureorum opinio.

Verùm nihil à sententiâ nostrâ remotum magis & alienum fingi potest. Non enim dicimus corpora ex se ipsis, & sine causâ de nihilo facta fuisse, sed potentiâ & consilio præstantissimæ rationis, cujus numine reguntur omnia. Ergo &c.

Ob. 3°. Nihil præter materiam existit. Ergo ab existentiâ animorum non probatur existere ens creator.

N. ans. Nam quisque sibi conscius est, variis affici se cogitationibus. Atqui cogitationes non possunt esse materiæ modificationes, ut in posterum demonstrabitur. Ergo &c. Et verò existit ens materiæ crea-

tor, quod certè non eſt corporeum. Ergo &c.

Ins. Nihil exiſtit niſi quod videri poteſt aut ſub ſenſus cadere. Atqui nihil præter materiam poteſt ſub ſenſus externos cadere. Ergo &c.

N. maj. Quâ nihil plumbeum magìs excogitari poteſt. Tùm quia cogitationes quis unquàm vidit, aut manibus apprehendit. Tùm quia innumera exiſtunt corpuſcula, animalcula, quæ ſenſus noſtros omnes fugiunt. Ergo &c.

Dices. Animus humanus eſt ens neceſſarium, non creatum, ſi ejus eſſentiæ non repugnet exiſtendi neceſſitas. Atqui naturæ mentis humanæ non repugnat exiſtendi neceſſitas. Illud enim naturæ mentis non repugnat, quod nedùm eam deſtruat, imò magis perficit. Atqui nedùm exiſtendi neceſſitas eſſentiam mentis humanæ deſtruat, illam è contrà perficit. Ergo &c.

N. mi. Animus enim humanus eſt ens dependens, ut patet ex ejus ſenſationibus, ideis, memoriâ. Atqui exiſtendi neceſſitas cùm ejuſmodi naturâ repugnat. Ergo &c.

Itàque non poteſt exiſtendi neceſſitas ſupponi naturam mentis humanæ perficere, cùm illi adverſetur.

Ins. Exiſtendi neceſſitas ſolùm exigit, ut res cui tribuitur, perfectionibus ſuis

omnibus necessariò prædita sit. Atqui talis est hominum animus. Ergo &c.

R. 1°. Ex hoc argumento sequi mentem humanam non esse necessario existentem, non enim habet cognitiones omnes, vim omnem intelligendi, cæterasque perfectiones, quas habere posset.

2°. N. maj. Requiritur insupèr ut non sit dependens, ut non possit concipi non existens, ut sit ens æternum, imò & perfectissimum; quod suo loco probabitur. Ergo &c.

Ob. 4°. Existentia Dei non potest probari per corporum existentiam. Nam illa probatio non valet, quæ circulus est vitiosus, seu quâ probatur idem per idem. Atqui talis est probatio quæ ex corporum existentiâ depromitur. Etenim probatur existentia Dei per existentiam corporum, quæ ipsa non demonstratur, nisi quia supponitur Deum summè veracem existere. Ergo idem probatur per idem.

Ng. mi. Ad probationem dg ans. Probatur existentia Dei ex corporum existentiâ, adversùs eos qui corporum existentiam aliundè certam admittunt. C. ans. adversus eos qui corporum existentiam ex solâ Dei summè veracis existentiâ demonstratam existimant. N. ans & cqm. itaquè existentiam Dei ex ipsâ materiæ & corporum existentiâ demonstramus adversùs

Atheos materialistas. Atqui Athei corporum existentiam ex solis sensationibus certam habent & indubitatam. Non ergo existentiam Dei demonstramus per corporum existentiam, nisi adversùs eos qui corporum existentiam aliundè quàm ex Dei veracitate compertam habent & certissimam. Quare non est circulus vitiosus.

Ob 5°. cum Tolando, non probatur motum non esse materiæ necessarium. Id enim ex eo probamus, quod multa sint corpora quiescentia. Atqui id falsum est; quippe terra, sideraque omnia sempèr moventur. Ex quo sequitur motum esse materiæ essentialem; uti colligitur extensionem esse materiæ proprietatem, quod nullam materiæ partem inextensam noverimus. Ergo &c.

1°. Non illud solum est argumentum quod attulimus, ut demonstraremus motum non esse necessarium.

2°. Dg. mi. Corpora omnia moventur motu vel proprio vel communi C. mi. motu proprio N. m. & cqm.

Et quidem cum terra circà centrum suum rotetur, corpora terræ imposita communi cum ipsâ motu circumferuntur, sed relativè ad terram quiescunt. Quod nemo negaverit. Verùm si motus esset materiæ essentialis, corpora terræ imposita, non minùs proprio motu donaren-

tur quam tellus ipſa. Si verò poſſint relativè ad globum terreſtrem quieſcere, omninò & abſolutè immota eſſe poſſunt, ut patet.

Etverò ipſe motus rotationis terræ contingens eſt, quod liquet 1°. quia tàm poſſet moveri ab ortu in occaſum, quàm ab occaſu in ortum; tùm quià non magìs terræ neceſſarius eſt, quam ſingulis corporibus, quæ certè circà proprium centrum non moventur. Tùm quia in Epicuri ſyſtemate partes terræ non ſempèr eodem motu donatæ fuerunt. Ergo.

Tandèm materiam concipimus omni motu deſtitutam, & indifferentem ad motum ſicut & ad quietem. Ergo &c.

Ins. Materiam adumbrare nobis non poſſumus ſine qualitatibus ſenſibilibus. Qualitates autèm ſenſibiles ex motu oriuntur. Ergo materiam imaginari non poſſumus ſine motu, qui proindè corporibus eſſentialis eſt.

R. Duplicis generis qualitates ſecernunt Philoſophi, primarias, ut extenſionem, & ſecundarias, ut colorem, ſaporem. Fatentibus nunc Phyſicis omnibus, qualitales ſecundariæ ſenſibiles ſunt animorum ſenſationes, non corporum reales modificationes. Ergo 1°. abſurdum eſſet illas corporibus eſſentiales aſſerere.

Extenſio verò quamvis per motum al-

terius corporis nempè luminis fiat nobis sensibilis, ipsa tamèn concipitur & existit sine motu.

Imò cum nulla sit connexio necessaria inter motum luminis & sensationem nostram, potuisset Deus aliam sensationis nostræ occasionem instituere. Ergo motus necessarius non est ut materia concipiatur.

Ins. Materia omnis est naturâ suâ divisibilis. Atqui divisibilitas ideam motus includit. Ergo motus in ideâ materiæ continetur.

N. mi. Divisibilitas est capacitas ad motum, cùm divisio actualis per motum fiat, non verò est motus actualis. Actum igitur cum potentiâ ridiculè confundit Tolandus.

Ins. Probamus motum non esse materiæ necessarium, ex èo quod alioquìn certa quædam motûs quantitas, velocitas, & directio esset essentialis. Legitima non est ejusmodi consecutio. Nam figura corpori cuilibet necessaria est, quàmvis non illa potiùs quàm altera. Ergo motus potest esse necessarius, quamvis non talis determinatus sit essentialis.

N. cqm. & paritatem. Corpus quodibet finitum supponitur & limitibus circumscriptum. Figura aliud nihil est, nisi terminus extensionis. Ergo corpus finitum sine figurâ esse non potest. Cùm autèm

non ſupponatur hac tali ratione potiùs quàm illâ alterâ finitum ; ideò determinata figura nulla eſt neceſſaria.

Itaque figura corpori finito neceſſaria eſt, quia corpus non poteſt concipi finitum, quin hoc ipſo figurâ donatum cogitetur. At corpus concipitur & finitum & exiſtens, quamvis quieſcens cogitetur. Ergo diſparitas eſt maxima.

Ins. Cum motus ex naturâ ſuâ percuſſione vel impulſione communicetur ; fieri poteſt ut motus toti materiæ collectioni neceſſarius ſit, quamvis partibus ſingulis non ſit eſſentialis, ſed ab unâ parte, ab uno corpore in aliud communicatione transferatur. Ergo &c.

N. ans. Cùm enìm tota materiæ collectio non ſit aliquid à partibus diſtinctum ; ſi nulli materiæ portioni, nulli determinato corpori neceſſarius ſit motus ; toti materiæ collectioni non poteſt neceſſariò competere. Etverò motus oppoſiti deſtruuntur. Ergo motus non eſt neceſſarius etiàm toti materiæ collectioni.

Prætereà in poſterum demonſtrabitur motum ex libero Dei decreto, non ex naturâ ſuâ percuſſione communicari. Ergo &c.

Dices. Neutoniani admittunt gravitationem omnium corporum in ſe invicèm ipſis eſſentialem. Atqui gravitatio illa eſt

motus. Ergo motum admittunt corporibus necessarium.

N. maj. Dicunt enim attractionem cujus effectus est gravitatio seu tendentia corporum in sese invicèm principium esse communicationis motus à Deo liberè institutum, non secùs ac impulsionem. Ergo Non illam tradunt tanquàm corporum proprietatem.

Etverò secundùm Neutonianos attractio varias in magnis & exiguis distantiis leges sequitur. Quod certè demonstrat illam esse divinæ voluntatis effectum omninò arbitrarium.

Dices contendit Leibnitzius corporibus inesse vim motricem ipsis essentialem. Ergo motus corporibus essentialis est.

R. 1°. Quamvis Leibnitziani vim illam motricem corporibus essentialem asserant, fatentur tamèn leges impulsionis ad Dei arbitrium institutas fuisse.

2°. Eorum opinio rationibus iisdem rejicitur, quibus demonstravimus motum non esse corporibus essentialem.

3°. Vis illa motrix omninò inutilis est. Ideò enim à Leibnitzianis admittitur, ut rationem inveniant mutationum quæ in corporibus eveniunt. Atqui ad explicandas ejusmodi mutationes inutilis est vis motrix corporibus singulis intrinseca; mutationes enim non oriuntur, nisi ex

motu quem à corporibus extrinsecis accipiunt. Ergo &c.

Ob. 6°. Mundum novum esse recènsque conditum probatur authoritate librorum Moysis, quem ut cæterorum scriptorum antiquiorem, sic & veriorem dicimus, imò solum esse inter antiquissimos annalium scriptores qui fidem mereatur. Atqui Moyses fidem nullam meretur. Ergo &c.

N. mi. Libros enim Moysis quâ parte reipublicæ, legumque Hebræorum origo describitur, laudati authoris coætanei genuinum opus esse, eosque viridicos constat ex perpetuâ consensione tùm Israelitarum, quamvis & ipsi, & eorum reges sæpè ab avitâ religione recesserint, ut ad falsorum deorum cultum confugerent; tùm Samaritanorum quibus Judæi non coutebantur; tùm christianorum qui judæis sempèr adversati sunt, tùm Ethnicorum ut Apionis, Celsi, Porphyrii, Juliani qui contià Judaicam & Christianam religionem scripsere.

2°. Ex monumentis publicis quæ ab origine reipublicæ constituerat Moyses, quæque ita cum historiâ in Pentateucho descriptâ concordant, ut accuratam rerum sub Moyse gestarum imaginem exibeant Talia sunt festum azymorum, Agni Paschalis ritus, primogenitorum redemp-

tio; tabernaculum, arca fæderis in quâ tabulæ legis à Deo in Horeb datæ servabantur, mensura Mannæ ad latus arcæ reposita, sacerdotum consecratio, vestes, & varia munia, sacrificiorum ceremoniæ, serpens æneus, qui ad Ezechiæ usquè tempora servatus est, familiarum genealogiæ, cœteraque monumenta quæ ad Christum usquè permanserunt.

3°. Ex eo quod libri illi qui sacri ab omnibus & divini habebantur, quibus adjicere quidquam, aut ex illis detrahere, aut aliquid in illis commutare nemini liceret, omnium manibus terebantur, ad cujus præscripta mores, vitam civilem & domesticam componi necesse erat.

Quod autem ad rerum omnium originem spectat, narrationi Moysis fidem maximam deberi patet, 1°. ex authoris ingenuitate, quâ res narrat non ad propriam laudem, cùm peccata ipse sua non dissimulet; non ad adulationem auramque popularem captandam, cum plebis & principum scelera, ingratum animum ergà summum benefactorem Deum, erroresque non taceat; non cùm artibus ad fallendum adhiberi solitis; nam quæcumque refert, ea supponit publici juris facta, omnibusque notissima; eaque potiùs exponit, ut eorum ad posteros memoria transmittatur, quam ut audientes edoceat.

2°. Quam texit ab hominum protoparente Adamo genealogiam, eamdem exploratam certè habebant Hebræi Moysis æquales; cum ab Adamo ad ipsum sex tantùm homines numerare sufficiat per quos traditio illa propagata fuerit. Namque Amram Moysis pater cum filiis Jacob vixerat; hi patrem suum de familiæ historiâ sæpè narrantem audierant; Jacob ab Isaac qui semum videre potuit, edoctus fuerat. Semus perannos 100 vitam duxit cum Mathusala, qui ab Adamo rerum omnium originem potuit ediscere. In hâc autem historiâ secum cohærent omnia; singulorum hominum ortus, nomina propria, mores, propensiones, res gestas, vitæ tempus tanquam omnibus nota cum summâ securitate, sermonisque simplicitate determinat Moyses.

Hæc autem omnia summam Moysi fidem adhibendam esse demonstrant. Si enim fingere voluisset cur remotiorem rerum omnium originem non constituisset, cur illam tenebrosâ sæculorum caligine non occultavisset, omniumque memoriâ superiorem non effecisset. Cur omnia in aperto ponit, variarumque gentium & imperiorum primodia suis temporibus proxima describit. Proindè quasi fraudis architectus existimare potuisset nulla in orbe toto monumenta paulò vetustiora

existere, aut in hominum memoriâ versari, quibus fraus omnis & fabula detecta fuisset. Profectò non sic se gerunt qui populo fabulas venditant, obtrudunt.

Ins. qui perfidum bonique alieni raptorem se ipse declarat, is fidem nullam meretur. Atqui talem se præbet Moyses. Ægyptios enim, qui in commodandis rebus suis pretiosissimis propensissimam voluntatem significaverant, suadente Moyse Hebræi spoliaverunt. Ergo &c.

N. mi. Moyses improbitatis aut injustitiæ accusari non potest. Quod ex ipso historiæ contextu qui objicitur, probare facile est. Cùm enim Dominus in noctis medio percussisset omne primogenitum non Ægyptiarum modò, sed captivarum & jumentorum, sic pergit author Exodi c. 12 v. 30. *Surrexit Pharao nocte, & omnes servi ejus, cunctaque Ægyptus; & ortus est clamor magnus in Ægypto, neque enim erat domus in quâ non jaceret mortuus. Vocatisque Pharao Moyse & Aaron, nocte, ait: surgite & egredimini à populo meo vos & filii Israel.... Urgebantque Ægyptii populum Israel de terrâ exire velociter, dicentes: omnes moriemur.... Feceruntque filii Israel sicut præceperat Moyses: & petierunt ab Ægyptiis vasa argentea, & aurea, vestemque plurimam. Dominus autem dedit gratiam populo coram Ægyptiis ut*

commodarent *eis*, *seu ut* dono darent *eis*.

Profectò si vasa argentea, vestesque Hebræis dono dederint Ægyptii, Moyses petitionis author non est injustitiæ accusandus. Atqui dono dederunt Ægyptii. Vox enim Hebræa quam Exodi interpres vertit per verbum commodarent vel mutuo darent, perinde significat *dono darent*; ut norunt Hebræicæ linguæ periti. Hoc autèm ultimo sensu accipiendam esse perspicuum est & apertum.

Quod enim ad usus vitæ necessarios aut utiles conceditur hominibus nunquàm reversuris; id dono, non mutuo datur. Hebræos autèm rediruros non expectabant Ægyptii, qui cogebant eos è terrâ exire velocitèr, ne morerentur omnes.

Etverò Israelitæ jam jam profecturi multa petunt, Dominus dat illis gratiam coràm Ægyptiis ut Israelitarum petitionibus annuant. Ergo dono dederunt Ægyptii, non commodarunt.

2°. Etiamsi mutuo data retinuissent Israelitæ, non ideò boni alieni raptor esset & injustus Moyses.

Tùm quia ædes suas, arva, frumenta terræ mandata, aliaque bona mobilia relinquebant Israelitæ, quæ commodata compensarent. Tùm quia laborum suorum mercès illis debebatur justistissima; tandèm quia sic jusserat Deus rerum omnium supremus Dominus.

Ins. Pharao cum curribus suis & equitibus Israelitas persecutus est : at certè non aliâ de causâ , quàm ut eos proptèr latrocinia puniret. Ergo &c.

N. mi. Nulla enìm mentio de latrocinio habetur, cum Pharao Judæos persequi decernit. Sed cum animo recogitat Hebræos à se in servitutem jam redactos ad labores gravissimos adhiberi posse , indèque plurimum utilitatis Ægyptum percipere ; vult eos ad redeundum cogere , ut Ægyptiis iterùm serviant , incœptosque labores resumant. Quæ quidem constant ex iis quæ leguntur Exodi c. 14. v. 5. *Immutatum est cor Pharaonis & servorum ejus super populo , & dixerunt : quid voluimus facere ut dimitteremus Israel , ne serviret nobis.*

Ins. Historia Moysis annalibus populorum vetustissimorum adversatur. Græcorum enim , Ægyptiorum , & sinarum scriptoribus constat homines multis sæculorum millibus Adamo præextitisse. Admissis semèl præadamitis non probatur mundum novum esse atque recentem , imò potiùs sequitur eum æternum esse , cum nullum ejus initium certum demonstrari possit. Ergo &c.

Respondeo Vetustissimorum populorum scriptoribus nullam in iis fidem adhibendam esse in quibus cum Moyse non con-

sentiunt. Quod artis criticæ periti demonstrant tùm rationibus iisdem quibus nos in adstruendâ propositione nostrâ usi sumus; tùm quià scriptores illi temporum, quorum historiam adornant, nedùm æquales sint, imò multis post Moysem sæculis vixerunt. Tandèm quià monumenta certa, quibus narrationem suam confirment, nulla referunt. Sed ad singulos veniamus.

Constat enìm primos Scriptores apud Græcos Poetas fuisse, qui rudi & imperitæ plebi res miras venditabant quàm veras meliùs atquè utiliùs. Celeberrimi verò Græcarum rerum Scriptores, ut Thucidides & Plutarchus antiquiorum temporum memoriam apud ipsos nullam esse ingenuè fatentur.

2°. Manetho Ptolomæi Philadelphi jussu annis post Moysem 1100. historiam conscripsit Ægyptiorum 31 dynastias continentem, quæ dynastiæ ex Authoris computatione annos 53535 duraverunt.

Omnibus autèm compertum est fabulas illas ideò confectas fuisse, ut Judæorum libris eodem Ptolomæo regnante in Græcum sermonem 70 peritorum versione translatis majorem gentis suæ antiquitatem opponeret. Nullum enìm monumentum refert, nullam authoritatem

quâ narrationi ſuæ fidem conciliare poſſit. Hanc quidèm rerum ſeriem aſſerit deſcriptam fuiſſe ex columnis quibuſdam in ſeriadicâ terrâ poſitis, quas primus Hermas figuris hieroglyphicis inſculpſerat. Verùm de terrâ ſeriadicâ nihil unquàm auditum eſt; deindè quî fieri potuit ut Hermas primus qui initio primæ dynaſtiæ floruit, ſubſequentium dynaſtiarum hiſtoriam in columnis inſculpſerit. Secundus verò Hermas poſt diluvium hæc omnia in Græcum ſermonem figuris hieroglyphicis tranſcripſerit; cùm vocum hieroglyphica nulla unquàm fuerint. Ità fermè Author religionis naturalis & revelatæ.

Inſtabis. Sinarum annales ſummam fidem merentur. Nàm apud ipſos floret peritorum tribunal nomine *Hanelinum*, cui remittuntur autentica præcipuorum eventuum memoralia, quæ ſummâ cum diligentiâ ſervantur, doctiſſimis annalium Scriptoribus ſuppeditanda. Cùm autèm conſcripta fuit hiſtoria, non priùs in lucem emittitur, quàm tot peritorum illius tribunalis judiciio probata fuerit & confirmatâ.

Ex quibus perſpicuum eſt errorem nullum in annales Scriptorum fraude, ignorantiâ, aut negligentiâ poſſe irrepere; cùm adhibeantur cautiones omnes neceſ-

fariæ, ut factis in historiâ relatis autenticitas concilietur, & veritas quàm maxima haberi possit. Atqui Sinarum annales mundum multò antiquiorem faciunt quàm historia Moysis. Ergo &c.

Resp. cum D. *Freret* in libello memoriali de Sinarum historiâ, quem Regiæ Scientiarum Academiæ Parisiensi obtulit primâ Decembris anno 1733, tribunal Hanelinum nonnisi post annum 206 antè Christum fuisse constitutum. Hoc enim anno Sinarum Imperium ad Hanorum familiam transiit, quorum primus Imperator *Caotsé* litteratos homines amavit, multisque auxit beneficiis. Ex Sinensibus autèm omnibus, viatorumque relationibus certum est paucis antè annis Imperatorem *Tsine-Tchi-Hoamti* litterarum odio libros omnes comburi jussisse, iis exceptis in quibus de agrorum culturâ, medicinâ, aut divinatione dicebatur. Sinenses tunc temporis papyro nondùm cognitâ ligneis tabulis ad scribendum utebantur; quo fiebat, ut Scriptorum volumina majora essent, quàm ut facilè absconderentur. Hincque liber integer, qui ex incendio superfuerit, nullus inventus est. Librorum fragmenta conquiri jussit, & colligi novus Imperator; è quibus volumina novem composita sunt, quorum quinque vocantur *Kings*, seu sacri. Tres

ſunt intèr libros ſacros dicti *Chouking*, *Chiking*, *Thune-Tſieou*, qui librorum hiſtoricorum ex incendio ſuperſtitum fragmenta complectuntur. Liber *Chouking*, ſeu hiſtoriæ liber, eſt antiqua & generalis hiſtoria Sinarum ab Imperii Sinenſis initio ad annum 900 circitèr antè Chriſtum producta, Confucii operâ in epitomem contracta, & ad 100 ſectiones redacta, quarum 42 amiſſæ ſunt; quod vacua multa in hâc hiſtoriâ relinquit. Hoc tamèn ſummario nihil eſt apud Sinas antiquitatis & autenticitatis majoris. Florebat autèm Philoſophus Confucius anno circitèr 450 antè Chriſtum.

Jàm verò ex hâc hiſtoriâ univerſali conſtat primum Sinarum legiſlatorem fuiſſe *Yao*, qui 2150 circitèr annis antè Chriſtum regnavit. Quod Sinenſis Imperii initium eſſe contendit D. *Freret*. 1°. Quià Confucius antiquiſſimus eſt Sinarum ſcriptor, maximâque apud illos authoritate pollet. 2°. Quià circà finem tertii à Chriſto nato ſæculi in ſepulchro cujuſdam Imperatoris repertus eſt liber incendio librorum multis annis ſuperior, quo integra chronologia continetur. Hanc autèm chronologiam proptèr antiquitatem præ cæteris veram exiſtimant, & ſequuntur periti Sinenſes. Atqui in hâc chronologiâ primus Imperator ponitur

Yao, qui anno 2145 antè Chistum regnare incipit. Ergo &c.

3°. Quià *Meng-tsé*, qui 350 annis antè Christum scribebat, Sinarum regionem asserit antè tempora Yao incultam fuisse.

4°. Quià cùm annalium Sematsieni recognoscendorum munus anno 85 areæ christianæ *Pane-cou* fuisset commissum; retinuit quidem ille nomina *Fouhi* & *Hoamti*, quos 300 circitèr annis Yao superiores fecerat Sematsienus anno 97 antè Christum scribens; sed Imperiorum Yao priorum tempora non determinat; hâc certè de causâ quod in regnis præcedentibus à Sematsieno laudatis certum nihil ipsi videbatur.

5°. Tandèm quià cæteri Scriptores qui Imperatores laudant Yao priores, in re nullâ concordant; monumento nullo quod certum sit, nituntur. Quod argumento est Imperia præcedentia gratìs omninò conficta fuisse. Ergo Yao primus Sinensibus leges dedit circà annum 2150 antè Christum. Quarè Sinarum annales, nequè præadamitas adstruunt, nec historiæ Moysis de rerum origine adversantur.

Dices Supponi potest diluvium universale contigisse quo priorum temporum monumenta omnia deleta fuerint, Scientiarum omnium atque artium periri sic interierint ut nullus manserit superstes;

cujus quidèm ſuppoſitionis veritas ex hiſtoriâ Moyſis colligitur. Ergo novâ recentique Scientiarum atquè Artium inventione mundi novitas non probatur.

Reſpondeo aquarum exundatione univerſam terræ ſuperficiem opertam fuiſſe, quod non ex Moyſe ſolùm, ſed etiàm ex profanis quibuſdam Scriptoribus ediſcitur; verùm ab Atheis quæro, an aquis demerſi mortui ſint homines omnes, an quidam ſuperfuerint. Si primum, dicere tenentur Athei, quod aſſerere non erubeſcunt, homines poſt diluvium temerè, caſuque fortuito ſine patre natos fuiſſe; quod abſurdum liquet tùm ex jàm dictis, & in poſterum dicendis; tùm quià quod olìm contigit, nunc interdùm eâdem de causâ eveniret, cùm tamèn ſolâ generatione naſcantur homines. Si ſecundum, ergo ſtandum eſt narrationi hominum è diluvio ſuperſtitum, quam ab illis accepit Moyſes, quamque veram eſſe multis argumentis demonſtravimus.

Obj. 6°. Si mundus recèns conditus dicatur, infinita jàm antè mundi creationem elapſa fuiſſent ſæcula; quod abſurdum eſt. Quid autèm per tantum temporis intervallum egit Deus? Laboremnè fugiebat, ut tàm ſerò ad effectionem mundi ſeſe accingeret? Ubinàm exiſtebat, an

tenebras amabat, cùm nondùm facta fuissent luminaria, quibus orbis universus illustratur?

Prætereà quæro quorum gratiâ mundum effecerit? an stultorum & improborum? Verùm quarè de stultis & improbis benè mereri voluisset? an proborum & sapientium? Profectò inani spe dilusus est, cùm sint omninò qui sapiant numero paucissimi.

Respondeo tàm hæc vana esse atquè ridicula, ut responsionem non mereantur. Tamèn dico 1°. antè mundi creationem infinita jàm elapsa non fuisse sæcula; cùm tempus à mundi creatione sumpserit initium, Deique duratio non sit successiva. 2°. Per tantum quod fingitur temporis spatium, Deus proprio contuitu ac lumine beatus excellentiam suam contemplatus est, rerumque omnium possibilium cognitione, & inexhaustâ scientiâ suam exercuit supremam intelligentiam. 3°. Non in tenebris ità latitabat, ut nihil omninò videret aut cognosceret; cùm lucida corpora spiritibus necessaria non sint ad cognoscendum, sed liberè à Deo creata sunt, ut illorum occasione corporum cognitionem ipsi nos comparemus.

4°. In semetipso & per seipse existebat; cùm spiritus partium expers in loco non existat, ad instar corporum quæ dif-

fusione suâ variis loci partibus correspondent. 5°. Existentiam nobis, cæterisque aliis rebus contingentibus impertiit, tùm ut perfectiones suas manifestaret, tùm ut bonis nos cumularet. Tandèm non priùs mundum effecit; quià cùm in creando summè liber sit, potuit quod voluit, rerum contingentium initium constituere. Nèc machinis aut ministris ad creandum opus habuit, quippè voluntate solâ mundum effecit: *dixit, & facta sunt.*

CONSECTARIUM.

Ergo existit ens orbis universi creator, quo nomine Deus intelligitur.

II. DEMONSTRATIO PHYSICA,

Ex ordine Mundi.

Existit mundani ordinis author, tantique operis moderator. Ergo existit Deus.

Quàm apta sit variarum mundi partium dispositio, quàm pulcher earum ordo, aspectuque jucundissimus, ostendere consilium non est. Mirabilis enìm illius ordinationis descriptio Oratorum nobilissimorum eloquentiâ, sagacique ingenio jàm totiès exornata, tàm conspicua est omnibusque obvia, ut ex eâ mundum efflorescere pulcherrimum nemo nisi cœcus sit, inficiari possit.

Itaquè demonstratur Deum esse mirabilis illius ordinis effectorem; quod etsi sponte sequatur ex præcedente demonstratione, quâ probatum est Deum esse & corporum & motûs causam efficientem. Tamèn suppositis etiàm materiâ & motu, sic evincitur propositio.

Ut autèm vis argumenti, roburque invictum sentiatur, primùm Aristotelis utar suppositione, quàm in hunc modum exornat. *Si essent, inquit, qui sub terrâ sempèr habitavissent bonis & illustribus domiciliis, quæ essent ornata signis atque picturis, instructaque rebus iis omnibus, quibus abundant ii qui beati putantur, nèc tamèn exiissent unquàm suprà terram: accepissent autèm famâ & auditione esse quoddam numen, & vim Deorum. Deindè aliquo tempore patefactis terræ faucibus ex illis abditis sedibus evadere in hæc loca quæ nos incolibus, atque exire potuissent; cùm repentè terram & maria, cœlumque vidissent: nubium magnitudinem ventorumque vim cognovissent, aspexissentque Solem, ejusque tùm magnitudinem, pulchritudinemque, tùm etiàm efficientiam cognovissent, quod is diem efficeret, toto cœlo luce diffusâ. Cùm autèm terras nox opacasset, tùm cœlum cernerent astris distinctum & ornatum, Lunæque luminum varietatem tùm crescentis, tùm senescentis, eorumque*

rumque omnium ortus & occasus, atque in omni æternitate ratos, immutabilesque cursus: hæc cùm viderent, profectò & esse Deos, & hæc tanta opera Deorum esse arbitrarentur.

Atquè hæc quidèm ille, quibus addit Tullius. *Quod si hoc ex æternis tenebris contingeret, ut subitò lucem aspiceremus: quænam species cœli videretur? Sed assiduitate quotidianâ, & consuetudine oculorum assuescunt animi, neque admirantur, nequè requirunt rationes earum rerum quas semper vident. Proindè quasi novitas nos magis, quàm magnitudo rerum debeat ad exquirendas causas excitare.... Quid autèm potest esse tàm apertum tàmque perspicuum, cùm cœlum suspeximus, cœlestiaque contemplati sumus, quàm esse aliquod numen præstantissimæ mentis, quo hæc regantur.*

Quod qui dubitet, haud sanè intelligo, cur non idem, Sol sit, an nullus sit, dubitare possit. Quid enim, est hoc illo evidentiùs? Hactenùs Tullius.

Et verò vel Deus est mundani ordinis author, orbisque universi moderator, vèl ordo ille mundi partibus essentialis est, vèl temerè sine ratione & consilio fortuitâ atomorum concursione prodiit: neutrum dici potest.

Non primum: quod evidentèr patet,

tùm quià non magìs necessarius est variorum corporum ad sese invicèm situs & distantiæ relatio, quàm variarum corporis nostri aut arboris partium dispositio; vèl cujuslibet corporis figura. Tùm quià major aut minor concipitur planetarum & stellarum numerus possibilis, major aut minor eorum ad se invicèm distantia, magnitudo, velocitas, diversus motus. Quas quidèm varietates cogitare nemo posset, si corporibus repugnarent. Atquè hinc est quod Athei nunc omnes fateantur mirabilem orbis universi harmoniam necessariam non esse.

2°. Nihil absurdum magìs, quàm si diceretur mundum pulcherrimum & ornatissimum temerè, fortuito atomorum concursu, & sine ratione aut consilio efformatum fuisse.

Quam in rem præclarè Tullius. *Quis enìm*, inquit lib. 2. de Naturâ Deorum, *hunc hominem dixerit, qui cùm tàm certos cœli motus, tàm ratos astrorum ordines, tàmque omnia intèr se connexa & apta viderit, neget in his ullam inesse rationem, eaque casu fieri dicat, quæ quanto consilio gerantur, nullo consilio assequi possumus? An cum machinatione quâdam moveri aliquid videmus, ut sphæram, ut horas, ut alia permulta: non dubitamus quìn illa opera sint rationis.*

Cùm autèm impetum cœli admirabili cum celeritate moveri, vertique videamus, constantissimè conficientem vicissitudines anniversarias, cum summâ salute & conservatione omnium rerum; dubitamus quìn ea non solùm ratione fiant, sed etiàm excellenti quâdam divinâque ratione.

..... Hìc ego non mirer esse quemquam qui sibi persuadeat, corpora quædam solida atque individua vi & gravitate ferri, mundumque effici ornatissimum & pulcherrimum ex eorum corporum concursione fortuitâ. Hoc qui existimat fieri potuisse, non intelligo cur non idem putet, si innumerabiles unius & viginti formæ litterarum vel aureæ, vel qualeslibet, aliquo conjiciantur, posse ex his in terram excussis, annales Ennii, ut deinceps legi possint, effici: quod nescio an nè in uno quidem versu possit tantùm valere fortuna. Isti autèm quomodò asseverant ex corpusculis, non colore, non sensu præditis, sed concurrentibus temerè atque casu mundum esse perfectum? vel innumerabiles potiùs in omni puncto temporis alios nasci, alios interire? Quod si mundum efficere potest concursus atomorum, cur porticum, cur templum, cur domum, cur urbem non potest? Quæ sunt minùs operosa, & multò quidèm faciliora.

Quod argumentum multis in locis diversimodè versat, variisque exemplis &

comparationibus ad rudis cujuslibet atquè indocti hominis captum accommodatis sic illustrat, ut nemo reperiri possit tàm excors, tàmque mentis inops, qui non ex illis facilè concludat admirabilem mundi ordinationem non solùm rationis opus esse, sed præstantissimæ cujusdam divinæque rationis.

Nàm si in Scythiam gentesque barbaras sphæram aliquis tulerit, cujus singulæ conversiones idem efficerent in Sole & in Lunâ, & in quinque planetis, quod efficitur in cœlo cunctis diebus & noctibus; quis in illâ barbarie dubitet quìn ea sphæra sit perfecta ratione. Si sit in tabellâ pictâ tàm elegans colorum varietas, tàm solers luminis distributio, umbrarumque permixtio, tàm aptus personarum situs, tàm erudita oculorum conversio, tàmque perfecta naturæ imitatio, ut sensus decepti personas viventes figurasque solidas referant; quis picturam fortuitæ colorum projectioni tribuat? Atqui meliora sunt ea quæ naturâ, quàm illa quæ arte facta sunt, multis partibus sunt illa perfecta, quàm hæc simulata, solertius: nèc solùm orbis universus, sed etiàm minutissimum quodcumque animal, arbor quælibet, plures habet partes artificiosè dispositas, quàm pictura, vel signum, quod aptâ membrorum compositione delectat ocu-

los. Ergo ut ex artefactis causam ratione & industriâ præditam necessariò colligimus; sic etiàm & meliori jure certum est mundum effici non potuisse ornatissimum & pulcherrimum ex fortuitâ atomorum concursione.

Profectò si mundum efficere potest fortuitus atomorum concursus, cur templum, cur domum, cur urbem non potest? quæ sunt multò faciliora. Cur stellæ novæ, planetæ novi videntur nulli? cur in hortis, in agris corpora nova identidèm sine causâ non reperiuntur?

Confirmatur ex ordinis mundani perseverantiâ. Vèl existit numen præstantissimæ mentis quo mundus regatur, quodque legum motus, quibus idem ordo perseverat, conditor sit & conservator; vel leges illæ necessariæ sunt. Atqui leges motûs necessariæ non sunt.

Prima lex est, ut impulsione seu collisione motus corpori colliso communicetur. Atqui lex illa necessaria non est, nec ex naturâ sivè motûs, sivè corporis necessariò sequitur. Quidquid enìm motus in se sit, non potest à corpore separatus existere, cùm sit ejus modificatio, vel cum ipso identificata, vèl ab ipso distincta. Si sit modificatio cum corpore identificata, non potest corpus alterum percutiens ipsi motum ex se communi-

care, nisi seipsum alteri det, atque in alterum desinat: quod absurdum est. Si modificatio illa dicatur à corpore distincta, quomodò corpus suâ se modificatione spoliabit, ut alterum eâdem vestiat; cùm animus quantumvis activus non possit ipsummet amorem suum in alterum animum transmittere.

Et verò etiamsi motus diceretur vis quædam corpori insita, distincta ab ipsâ translatione, sivè correspondentiâ variis locis successivâ, quod negat Philosophorum pars maxima, non tamèn conciperetur causa efficiens motus corpori percusso communicati. Tùm quià quâ proportione motum in corpore percusso efficeret, eâdem proportione suam activitatem amitteret. Nullum autèm assignari potest causæ efficientis exemplum, quo causa efficiens effectum producendo suam efficientiam & activitatem amittat. Tùm quià hoc in casu effectus extrà causam efficientem productus, aliud nihil esset aut conciperetur nisi ipsa causa efficiens, seu vis motûs quæ ab uno corpore in aliud migrasset. Nullus autèm effectus extrà causam productus concipi potest ipsa causa, ipsa vis & activitas ab uno subjecto in aliud transiens.

Ex quibus concludunt Physici multi partem motus à corpore percutiente de-

perditam esse omninò destructam, partem verò motûs à corpore percusso acquisitam esse novum motum à supremo motore productum.

Secunda lex. Corpus percutiens motum pro ratione molis communicat, id est mediam partem sui motûs, si ambo corpora mole sint æqualia. Atqui lex illa necessaria non est. Cùm evidens sit eam neque ex contactu præcisè, neque ex essentiâ corporis sequi; tàmque fieri posse ut totus motus communicetur, quàm media aut altera quælibet pars, aut nulla. Ergo &c.

3°. Si corpus ab unicâ vi motrice translatum obliquè incidat in alterum, ex. gr. cum quatuor gradibus motûs, decomponitur ille motus in duos motus partiales, quorum summa quatuor gradibus major est. Atqui lex illa arbitrarius est supremi motoris effectus. Nedùm enim in naturâ motûs fundetur; imò ipsi videtur repugnare. Quippe non datur quod non habetur; omnesque totius cujuslibet partes simùl sumptæ non possunt esse toto suo majores. Ergo &c.

Hoc præsertìm argumento utitur Molierius in suâ Physicâ, ut supremi Numinis existentiam demonstret. *A chaque instant il faut que Dieu soit nécessairement attentif à diminuer ou augmenter la force*

qu'il employe à mouvoir les parties de la matiere, selon une loi constante & invariable, & qui est si nécessairement la base & le fondement de toute la machine; que si les loix de la nature sont autres que celle-là, toute cette science est renversée. Ce n'est plus que par hazard qu'Archimède & tous les autres Méchaniciens ont prédit les effets surprenans du lévier, des poulies, des roues, des plans inclinés, du coin. On ne pourra compter sur rien dans la vie : l'Architecte qui bâtira une maison selon toutes les régles de son art, ne pourra répondre qu'elle n'écroulera pas; & il n'y aura jamais de sûreté pour ceux qui l'habiteront; les ouvriers qui s'échafauderont selon cette loi, n'oseront plus se fier à leurs machines, s'il n'est pas vrai que cette loi soit exacte.

Cæteras prætermitto leges, præsertìm motûs elastici & gravitatis, quæ nequè in essentiâ motûs, nequè in naturâ corporis fundantur. Ergo existit supremus mundani ordinis moderator, & conservator.

III. Demonstratio Physica.

Homo ipse solus insigne divinitatis argumentum est.

Jàm demonstratum est animum huma-

num & corpus entia esse contingentia & facta; & utriusque unionem arguere existentiam entis præpotentis, quod summum dominium in corpus nostrum, animumque exerceat.

Nunc contemplanda nobis est solertissima & admiratione digna corporis humani fabrica, legesque unionis animi cum corpore, quæ duo præstantissimæ Dei rationi, non casui adscribenda esse, sanus quisque facilè perspiciet.

Corporis humani brevis descriptio. Quanta primo intuitu cernitur corporis totius species & dignitas! Suprà cæteras partes eminet caput oris majestate conspicuum, quod duris & excavatis ossibus undique cinctum est, ad mollis cerebri tutelam. Aptè perforatur iis in locis quibus oculi, aures, os, nares respondent. Suos unaquæque pars nervos habet idoneos suscipiendis corporum externorum motibus, qui sint sensationum nostrarum occasiones. *Sensus autèm*, inquit Tullius, *interpretes ac nuntii rerum in capite tanquàm in arce, mirificè ad usus necessarios & facti & collocati sunt. Nàm oculi tanquàm speculatores altissimum locum obtinent; ex quo plurima conspicientes fungantur suo munere. Et aures cùm sonum percipere debeant, qui naturâ in sublime fertur; rectè in altis corporum partibus*

collocatæ sunt. Itemque nares, eò quod omnis odor ad supera fertur, rectè sursùm sunt: & quod cibi & potionis judicium magnum earum est, non sine causâ vicinitatem oris secutæ sunt. Jàm gustatus qui sentire eorum, quibus vescuntur genera deberet, habitat in eâ parte oris quâ esculentis & potulentis iter natura patefecit. Tactus autèm toto corpore æquabilitèr fusus est, ut omnes ictus, omnesque nimios & frigoris & caloris appulsus sentire possimus. Quis verò opifex tantam solertiam persequi potuisset in sensibus? Natura primùm oculos membranis tenuissimis vestivit, & sepsit; quas primùm perlucidas fecit, ut per eas cerni posset; firmas autèm, ut continerentur. Sed lubricos oculos fecit, & mobiles, ut & declinarent, si quid noceret, & aspectum, quò vellent, facilè converterent. Aciesque ipsa, quâ cernimus, quæ pupula vocatur, ità parva est, ut ea quæ nocere possint, facilè vitet. Palpebræque quæ sunt tegumenta oculorum, mollissimæ tactu, ne læderent aciem, aptissimè factæ & ad claudendas pupulas, ne quid incideret, & ad aperiendas. Idque providit, ut identidèm fieri posset cum summâ celeritate, munitæque sunt palpebræ tanquàm vallo pilorum, quibus & apertis oculis, si quid incideret, repelleretur; & somno conniventibus, cum oculis ad cernendùm non

egeremus, ut qui tanquàm involuti, quiescerent. Latent prætereà utilitèr, & excelsis undique partibus sepiuntur. Auditus etiàm semper patet; ejus enìm sensu etiàm dormientes egemus, à quo cùm sonus est acceptus, etiàm è somno excitamur. Flexuosum iter habet, ne quid intrare possit, si simplex & directum pateret. Provisum etiàm, ut si qua minima bestiola conaretur irrumpere, in sordibus aurium, tanquàm in visco, inhæresceret. Extrà autèm eminent, quæ appellantur aures, & tegendi causâ factæ, tutandique sensus; & ne adjectæ voces laberentur, atque errarent priùs, quàm sensus ab his pulsus fuisset. Sed duros & quasi corneolos habent introitus, multisque cùm flexibus, quod his naturis relatus amplificatur sonus. Gustatus præclarè septus est. Ore enìm continetur, & ad usum aptè, & ad incolumitatis custodiam. Quàm verò aptas, quàmque multarum artium ministras manus natura homini dedit! Digitorum enìm contractio facilis, facisque porrectio proptèr molles commissuras & artus, nullo in motu laborat.

Hactenùs Tullius. Vide jàm quæ sit levitas simùl ac firmitas nervorum atque ossium: ut superpositis carnibus ossa vestiuntur, & ossibus miro sibi artificio insertis musculorum firmitate simùl ac mo-

bilitate ligatis carnes ſuſtinentur. Ut carnem quibuſdam in partibus circumdat tenera pellis, & ornat, in aliis durior ac fortior eamdem à vulneribus tutatur. Verbo dicam, corporis humani compages ac ſtructura tantam admirationem habet, ut omnibus Anatomes peritis naturæ miraculum videatur, innumeræque illius partes tùm externæ, tùm internæ tantâ induſtriâ factæ & collocatæ ſunt, tàm omnes inter ſe connexæ & aptæ; ut ſi ad eximium opus ſumma ſapientia, arſque ſolertiſſima fuiſſet adhibita, vix meliùs eſſe poſſet, & ad ſpeciem pulchriùs.

Et verò ſi barbaras apud gentes ſtatua reperiretur quæ accuratâ membrorum, partiumque omnium éxteriorum proportione, & ſitu, colorumque attemperatione humanum corpus ſic ad vivum exprimeret, ut ſpectatores fallerentur, donec manu errorem ſuum cognoviſſent: quis in illâ barbarie opificis induſtriam non colligeret ſtatìm, & miraretur? Atqui tamén in illo ſigno nulla eſſet partium internarum diſpoſitio. In corpore humano quæ latent intrinſecùs, multò magìs admirationem movent, quàm quæ apparent extrinſecùs. Quid enìm, ſi cerneretur interna formatio & ſtructura capitis, oculorum, aurium, oris, colli, pectoris, pulmonum, ſtomachi, glandularum, ner-

vorum, musculorum, arteriarum, innumerabiliumque venarum quibus carnes perpetuò irrigantur; eorumque omnium apta dispositio, connexio, communicatio, ciborum in sanguinem, cæterosque humores transformatio. Quibus omnibus corpus humanum quod perpetuâ exhalatione perit, perpetuâ reparatione conservatur. Ergo &c.

Similitèr leges unionis animi cum corpore Deum existere demonstrant. In eo enìm positæ sunt leges illæ quod occasione motuum corporis quædam in animo sensationes, cogitationes, affectiones excitantur, & vicissìm occasione cogitationum mentis quidam in corpore motus nascuntur. Atqui mutuum illud cogitationum ex parte mentis, & motuum ex parte corporis commercium non ab alio quàm ab Ente supremo originem ducere potest. Quænam enìm connexio est vel similitudo intèr motum in nervis opticis excitatum, & mirabilem illam varietatem sensationum, quæ colores appellantur, & corporum externorum ideas. Quænam cognatio intèr tremulum motum quo agitantur aurium fibrillæ, & suavissimum illum oblectationis sensum, quem parit harmonia vocum aut instrumentorum. Quid ex aliâ parte commune esse potest intèr iracundiam, amorem, pudo-

rem, audaciam, timorem, gaudium, tristitiam, eosque oris totius situs & commotiones in quibus laudatas animi affectiones, velut cernimus & legimus; vehementesque motus qui plerumque in corpore toto ex animi affectionibus sequuntur. Hæc certè non efficit animus; cùm sæpissimè ipso incogitante & invito nascantur in corpore, ignoratque mens quâ ratione sese gerere debeat, ut eos oris situs, vel commotiones aut in vultu, aut in toto corpore producat. Ergo eorum omnium effector est Deus.

De physicis demonstrationibus videte *Fenelon*, *Jaquelot* de existentiâ Dei, *de Reaumur* in Mem. ad hist. Insect. multos nobiles tùm Philosophos, tùm Theologos, religionis naturalis & moralis Philosophiæ principia, qui liber multa nobis argumenta suppeditavit.

Obj. 1°. ex ordine mundi non potest opificis ratio præstantissima concludi. Nàm in animantium quorumdam operibus mira conspicitur ordinatio quibuslibet artefactis excellentior. Ex. gr. ut cætera taceam, quis avium industriam & artem in nidis ædificandis assecutus est. Atqui tamèn belluæ rationis expertes sunt. Demonstravit enìm Carthesius eas esse mera automata seu machinas uiventes. Ergo &c.

1°. Illud argumentum incerto nititur principio; multi quippè nobiles Philosophi cum maximâ hominum parte contendunt in belluis existere animum humano quidèm admodùm inferiorem, diversæque speciei, qui tamèn sensationibus afficiatur, atque ideis ditetur. Quapropter hæc objectio nostræ demonstrationis vim non elevat.

2°. Distinguo min. Belluæ rationis expertes sunt, sed Dei directione operantur. Transeat minor. Belluæ ex se solis, & sine ullius causæ intelligentis directione agunt. Nego min. & conseq. Esto, belluæ sint meræ machinæ viventes: quod hîc non expenditur. Quæcumque ex illis prodeunt stupendæ operationes, hæ totidèm effectus sunt legum motus quas belluæ sequuntur; quæ profectò leges fortuitæ non sunt, nec necessariæ; quod probatione non videtur indigere, adeò perspicuum est, & ex dictis facilè concluditur. Ergo conditæ sunt leges illæ à supremo belluarum artifice, ut omnia quæ ad vitam, generationem, conservationem necessaria sunt anquirant belluæ & pareant, declinentque ea quæ nocitura videantur. Proindèque si mirabiles belluarum operationes intelligentiam in ipsis non arguunt, summam industriam causæ

dirigentis & efficientis, consiliumque solertissimum ostendunt.

Et verò non sine admiratione artis & industriæ machinas quasdam Parisiis vidimus, quæ paucissimos belluarum motus imitarentur. Ergo meliori jure præstantissimam causæ dirigentis rationem concludimus; cùm ordinationem in belluarum operibus cernimus.

Dices. Animus noster varia corporis membra movet ad libitum. Tamèn nescit quinam musculi vel nervi sint agitandi; eorum situm & naturam omninò ignorat. Ergo effectus etiàm ordinati productio, nullam in causâ intelligentiam demonstrat.

1°. Principium objectionis saltèm incertum est, multisque nobilibus Philosophis falsum videtur. Nàm, inquiunt, non potest animus esse causa efficiens motuum corporis, quìn necessaria sit connexio intèr motum membrorum & animi volitionem: atqui necessaria non est connexio intèr motum variarum corporis partium & animi volitionem. Si enìm necessaria esset ejusmodi connexio, quotiès animus vellet statìm brachium moveretur. Res tamèn non sic evenit; cùm ægrotus, vel paraliticus velit brachium movere, quod non movetur. Ergo &c.

Et verò, inquiunt, si animus esset causa efficiens motuum corporis nostri, posset etiàm pro nutu corpora remota transferre. Corpus enìm nostrum tàm est extrà animum, quàm corpora circumdantia. Tamèn experientia constat animum non posse per suam volitionem corpora circumposita transferre, ut lapidem, montem, domum &c. Ex quibus concludunt volitionem nostram esse dumtaxàt causam occasionalem, cujus interventu Deus seipse determinat ad partes corporis nostri movendas. Quod quidèm ipsâ ratione in objectione expositâ; aliisque momentis demonstrabitur, ubi de animorum immaterialitate disputaturi sumus. Hâc itaque difficultate demonstratio nostra non evertitur.

2°. Nego conseq. Si enìm animus brachiorum motum efficiat, etiamsi supponatur ignorare quinam musculi sint inflandi &c: quod satìs contradictorium videtur; ex eo sequitur tantummodò oportere, ut cognoscat quid sit ille motus; quod ipsi perspectum est. Similitèr cùm operis partes aptissimè dispositæ sunt, debet causa mirabilem illam ordinationem cognoscere. Ità sentit hominum genus universum.

Instabis. Animus noster volitiones suas efficit. Atqui tamèn non cognoscit quid

ſint volitiones illæ, nec quâ ratione eas efficiat. Ergo neceſſaria non eſt in causâ efficiente effectûs cognitio.

Minorem propoſitionem negant Philoſophi omnes, cùm eo diſcrimine quod quidam opinentur volitiones noſtras per ſenſum intimum dumtaxàt innoteſcere, & à cæteris affectionibus ſecerni. Ex quo concludere eſt effectum non poſſe produci quìn cognoſcatur vel per ideam & repræſentationem, vel per ſenſum intimum. Atqui effectus extrinſeci non poſſunt per ſenſum intimum innoteſcere; cùm ſolæ modificationes intrinſecæ ſenſum ſui facere poſſint. Ergo debent per ideam & repræſentationem cognoſci. Atque hinc eſt quod nemo ſit qui cùm picturam, horologium, vel elegantem ſtatuam videt, non eam ſtatìm intelligentis opificis induſtriæ adſcribat.

Nos autèm in poſterum dicemus affectiones animi noſtri non ſenſu intimo ſolùm, ſed etiàm ideâ & repræſentatione cognoſci. Et verò animus velle aut amare non poteſt, quod non cognoſcit. Ergo nec Deus velle poteſt mundum efficere pulcherrimum, niſi admirabilem mundi ordinem priùs cognoſcat.

Obj. 2°. Si mundus excellentis cujuſdam, divinæque rationis effectus eſſet, non fortuitum opus; nullus cerneretur

defectus, nihil temerè factum aut inordinatum: verùm in mundo inordinatio conspicitur maxima. Ergo saltèm dubitandum, casune effectus sit, an ratione & consilio.

1°. Transeat maj. Nàm etiamsi in eximiâ picturâ, statuâ, vel horologio defectus quosdam & inordinationes ejusdem artis peritissimi detegerent, dummodò in opere toto tàm apta partium dispositio cerneretur, ut admirationem moveret, oculosque spectatorum oblectaret; profectò artificis industriæ, non casui hæc tanta opera adscriberentur; præsertìm si ex iis quæ perfecta quisque cognosceret, facilè concluderetur potuisse opificem meliùs aliquid & perfectiùs, si voluisset, efficere. Atqui res ità se habet, ubi de mundo agitur; maximè si quis attendat, in tantis naturæ totius motionibus, tot tantisque vicissitudinibus, tàm multarum rerum atque tantarum ordinibus nullam unquàm mutationem allatam fuisse vetustate. Ergo &c.

2°. Nego min. Ut enìm animadvertit Leibnitzius, nonnulla quidem in mundo cernuntur, quæ videri possunt imperfecta, minùsque ordinata, cùm seorsìm ab aliis spectantur, eò quòd eorum usus, utilitates, fines ad quos destinata sunt, relationes ad cæteras mundi partes non cog-

noscantur. Non secùs ac in tabellis elegantèr pictis, si quis umbras figuris aspersas tantùm intueretur, eo non parùm offenderetur aspectu. Si quis in ingenti machinâ partes quasdam minutas seorsìm consideraret, eas aut inutiles, aut imperfectas judicaret. Verùm si mundi universitatem partiumque omnium connexionem & dispositionem videremus; si partium singularum usus, fines, utilitates, relationes ad cæteras partes cognosceremus; si generalem consensum & harmoniam intueri possemus; tùm certè nostro etiàm judicio mundi conditor non absolveretur modò, sed ejus sapientia tanta diceretur, quanta cogitari non posset. Ergo si quis inordinationem quamdam in mundo esse arbitretur, judicium illud ex solâ mentis limitatione rerumque ignoratione oritur.

Instabis. Si mundus satis non cognoscatur, ut possit quis inordinationem arguere; satis non innotescit, ut ordinationem illius asseramus. Ergo &c.

Nego ans. Ut enim aliquis cognoscat quamdam intèr horologii partes ordinationem existere, non requiritur ut omnes illius partes, earumque varios fines & usus perspectos habeat, sufficit si videat partes ad quemdam finem ex eo destinatas fuisse, quod finem illum cons-

tantèr attingant, scilicèt indicentur horæ. Similitèr ut in mundo ordinationem esse concludamus, satis est si primo intuitu spectaculum mundi nobis sit pulcherrimum & jucundissimum, variæque partes in eo conspirent, ut effectus quosdam regulares constantèr producant; sicque finem suum certò assequantur. Atqui hæc in mundo percipimus, aliaque multa in quibus admirabilem esse ordinem jàm ostendimus. Ergo &c.

Instabis. Illo in opere realis est inordinatio, in quo partes multæ sunt inutiles, multæ noxiæ, multæ finem suum non assequuntur. Atqui tales sunt plurimæ mundi partes. Cui enìm bono culices, muscæ, vermes, araneæ, insectorum genera, serpentes, monstra &c. Ergo &c.

Nego min. Hæc inutilia non sunt. 1°. Namque ad mundi pulchritudinem multiplici varietate visu gratissimâ non parùm conferunt. 2°. His in animalculis ars exquisitior, consiliumque solertius quàm in maximis deprehenditur. Nec enìm ingens aliquod opus est, quod authoris sui solertiam eloquentiùs enarrat. 3°. Plurimas habent utilitates etiàm cognitas; vaporibus pestiferis aerem expurgant, morbos sic avertunt, remedia morbis curandis præsentissima ex illis eruuntur &c. Ergo &c.

Instabis. Pluviæ finis est ut plantis & arboribus alimenta præparet, partes nutritias suppeditet, impediatque ne siccitate pereant, aut calore nimio suffocentur. Atqui pluvia finem illum sæpè non assequitur. Dùm enìm aquis deficientibus segetes marcescunt; pluviæ in terras incultas, in rupes inaccessas, in mare & flumina decidunt; imò tantâ quandoque copiâ irruit imber in terras fertiles quibus commissum est semen; ut spem messis omnem adimat. Ergo multæ sunt mundi partes quæ finem suum non assequuntur.

Respondet 1°. Seneca cum multis Philosophis imbrium lapsus aut copiam majorem quàm par est, aliaque multa quæ inordinata videntur consectaria esse legum generalium sapientissimè conditarum, quibus regitur orbis universus; satiùsque eas cum levioribus quorumdam incommodis servari, quàm cum rerum omnium detrimento rescindi. Deo enìm major esse debet universorum cura quàm singulorum.

2°. Pluviæ finis assignatus nec solus est, nec necessarius. Sæpè namque contingit ut pluviarum copiâ vel defectu morbi aliaque incommoda avertantur.

3°. Potest Deus pluvias utiles retinere, aut segetibus nocivas immittere, ut suam

ab Ente supremo dependentiam sentiant homines, & ad Deum precibus confugiant; ut eos ad virtutem impellat, à vitiis & cupiditatibus avertat; ut eorum delicta puniat. Ergo &c.

Tandèm si talis pluviæ finis necessarius esset; ut imber decideret in terras anteà incultas, sufficeret agros illos colere, eisque semen committere. Atqui id non sufficit, ut imber in terras decidat. Ergo &c.

Instabis. Stultus esset hortulanus qui aquam ad hortum irrigandum necessariam in rupes effunderet & dissiparet. Ergo &c.

Nego consequentiam & paritatem. Ratio discriminis est quod hortulano nullum possit esse motivum ratione nixum aquæ necessariæ sic dissipandæ. Contrà verò possunt esse Deo motiva multa, scilicèt ea quæ jàm exposita sunt, aliaque plurima, quibus aquam segetibus necessariam deneget. Ergo &c.

Obj. 3°. Ex humani corporis efformatione non probatur Deum existere. Nàm ex limo terræ radiis solaribus calefacto potuerunt infantes fortuito casu & sine causâ ullâ intelligente in lucem prodire. Quemadmodùm in corporibus putrefactis, aut paludibus arescentibus calore solo nascuntur innumera animalcula, sine

patre, sine generatione; tùm telluris in radicibus creverunt uteri mammarum ad instar, quos maturo tempore patefecit ætas infantum, venisque apertis coegit succum fundere lactis consimilem. Sicque, inquit Lucretius,

Terra cibum pueris, vestem vapor, herba cubile
Prabebat, multâ & molli lanugine abundans.

Atque hæc est Epicuri sententia de animantium origine, quam serio animo suis versibus exponit Lucretius & exornat.

Respondeo hanc aliasque de animantium origine explicationes ab Atheis prolatas tàm ridiculas esse, ut ex nullâ re major demonstrationi nostræ vis & authoritas possit accedere.

Nàm 1°. quæritur quî fieri possit ut nunc novi homines nulli, animantia nulla sine generatione nascantur. An mutatus est radiorum luminis calor; an mammarum terræ ubertas in primâ generatione omninò fuit exhausta? Quod autèm additur de animalculis, quæ in aquis corruptis, aut aliis corporibus pullulant, in quibus anteà nulla videbantur, apud omnes Philosophos multis experimentis certum est & indubitatum illa originem ducere ex ovis quæ matres în iisdem corporibus deposuerunt, aut venti transtulerunt. Nàm in carnibus nulli vermes gene-

generantur, in quibus muscæ ova sua relinquere non potuerunt.

Jamverò telluris fœcunditas exhausta non fuit; in eodem nunc statu reperitur, in quo esse debuit, cùm marem & fœminam variarum specierum primùm genuit, & succo lactis consimili nutrivit. Non enim potuerunt hæc animantia è terrâ oriri, nisi cum iis alendis idonea tellus extitit; cum jàm herbis cujuscumque generis virentibus, florebat; cum fontibus & fluviis extinguendo siti necessariis irrigabatur; (fontes autèm & amnes, nonnisi ex pluviis originem ducunt.) Cùm aer factus fuerat spirabilis, & vi ventorum pestiferis vaporibus expurgatus; verbo dicam cùm omni ex parte universa rerum natura illorum generationi quasi consentiens & obsecundans evaserat. Itaque 1°. non ex rerum confusione, quæ *cahos* dicitur, potuerunt animantia temerè casuque fortuito prodire. 2°. Terra in eodem nunc statu reperitur in quo tunc versabatur. Cur ergò nova nulla sine patre nascuntur animantia? 3°. Hæc rerum omnium ad animantium vitam necessariarum præparatio, non maris solius, sed fœminæ in quâlibet specie origo, singulorum ad usus proprios apta partium compositio, conjunctionis appetitus, posterorum similium perpetua generatio,

Demonstratio moralis de existentiâ Dei.

EX HOMINUM CONSENSU.

Duo probanda sunt: primùm, consensionem hominum in agnoscendo supremo Numine à quo sit aliquid sperandum, aliquid verò timendum, sic esse unanimem, & moralitèr universalem; ut nulla extiterit gens athea. Deindè consensionem illam invictum esse existentiæ Dei argumentum.

Prima pars quæ circà factum versatur, non ex alio momento adstrui potest quàm ex gravissimorum authorum testimoniis, variarumque gentium historiis.

Probatur prima pars. Firmissimum hoc afferri videtur, cur Deos esse credamus, quod nulla gens tàm fera, nemo omnium tàm sit immanis, cujus mentem non imbuerit Deorum opinio. Multi de Diis prava sentiunt. Id enìm vitioso more effici solet: omnes tamèn esse vim & naturam divinam arbitrantur. Ità Tullius Tuscul. 1. 13. Idem Lib. 1. de Legibus. Gens nulla est, inquit, neque tàm immanis, neque tàm fera, quæ etiamsi ignoret qualem habere Deum debeat, habendum tamèn non sciat.

Si terras obeas, inquit Plutarchus, invenire possis urbes muris, litteris, legi-

P ij

bus, domibus, opibus, numiſmate carentes;.... urbem verò templis, Diiſque deſtitutam, quæ precibus, jurejurando, oraculo non utatur; non bonorum causâ ſacrificet, non mala ſacris avertere nitatur, nemo unquàm vidit.

Idem teſtantur Plato, Ariſtoteles, Seneca, cæterique omnes antiquiſſimi authores, qui de ſupremo Numine ſermonem habuerunt.

Ex antiquiſſimorum populorum hiſtoriis compertum habemus opinionem divinitatis viguiſſe apud Hebræos, Chaldeos, Ægyptios, Indos, Perſas, Arabes, Getas, Gallos, Germanos, Græcos, Romanos. Ubique præſcripta leguntur de cultu religionis inſtituta, officia in ſacrorum celebratione definita, delecti ſacerdotes & religionis miniſtri, maximâque veneratione, & obſervantiâ habiti, ubique erecta templa, indicti ad ſolemnia feſti dies. Quæ quidèm ſingula certam fidem faciunt apud omnes antiquas gentes de divinitate ſententiam invaluiſſe.

Quis autèm ignorat opinionem divinitatis unà cum ſæculis, ætatibuſque hominum inveteraviſſe, diuturnitate temporis confirmatam; religionumque ſanctitates in dies factas fuiſſe majores, atque meliores. Quis neſcit veteribus populis

consentire omnes, qui nunc sunt terrarum incolæ, etiàm maximè inculti, Mexicani, Peruviani, Brasilienses, Canadienses. Ergo divinitatis opinio communis est, & universalis.

Probatur secunda pars. Consensus ille universalis invictum est existentiæ Dei argumentum. Nàm 1°. omnibus perspicuum est & apertum, id esse verisimile quod multis sapientibus & peritis verum videtur; id certius, quod plerisque doctis certum judicatur; id verisimilitudinem habere multò majorem, in quo plerique docti cum indoctis consentiunt; id tandèm certissimum habendum esse, quod omnes ex animo tàm indubitatum credunt & tuentur, ut ex eo suam vivendi rationem instituant. Atqui talis est opinio de existentiâ Dei. Ergo &c.

Hanc quidèm sententiam si docti tantùm amplexi fuissent, opponi fortassè possent sensus hominum imperitorum, qui dicerentur naturam ducem meliùs secuti. Si rudium dumtaxàt & imperitorum mentem imbuisset divinitatis opinio; præjudicii vel levioris conjecturæ suspicionem injiceret contraria peritorum sententia. Verùm cùm periti omnes & imperiti in eamdem consentiunt opinionem, de quâdam veritate quæ rudium & imperitorum captum non superat, hæc ha-

benda est certissima, vel dicendum hominum genus universum non esse rationale.

Et verò unanimi populorum consensioni nemo qui sapiens sit, refragari possit. Si quis enìm adversaretur, is deberet privatum suum præponere judicium, non modò imperitorum sensibus, sed etiàm maximorum quorumlibet ingeniorum & doctorum hominum, qui post diutinum maturumque examen rem demonstratam asserunt & indubitatam. Quòd profectò summæ temeritatis, arrogantiæ & stultitiæ esset. Quocircà nemo qui sapiens sit, hominum omnium sententiæ refragari potest.

2°. Consensus ille invictum est existentiæ Dei argumentum, qui ex ipso lumine rationis oritur. Atqui hominum omnium consensus in admittendâ supremi Numinis existentiâ ex ipso rationis lumine oritur. Tùm quià, ut est apud Tullium, *in omni re consensio omnium gentium lex naturæ putanda est.... Opinionum commenta delet dies, naturæ judicia confirmat.* Tùm quià opinio cui adversantur quæ maximam vim habent apud homines momenta, cupiditates, vitæque liberioris desiderium, hæc neque potest universalis esse, nec stabilis permanere, multò minùs confirmari diuturnitate tem-

poris, nisi ex naturâ ipsâ, ex rationis dictatis ducat originem. Atqui talis est opinio de existentiâ supremi Numinis rerum universarum moderatoris, quod sit scelerum vindex, & virtutis remunerator, ut patet. Ergo &c.

Et verò consensus ille unanimis ex naturæ, rationisque dictatis oritur, qui neque præjudiciorum fœtus esse potest, nec ullius hominis authoritate, vel falsâ persuasione introductus. Atqui 1°. consensus unanimis de existentiâ Dei præjudiciorum fœtus esse non potest. Generales enìm præjudiciorum causæ duæ sunt, internæ, & externæ. Atqui consensus unanimis de existentiâ Dei non oritur à causis præjudiciorum internis. Nàm causæ præjudiciorum internæ sunt sensus fallaces, imaginatio deludens, pravæ cupiditates. Atqui consensus unanimis de existentiâ Dei non oritur ex sensibus; Deus enìm sub sensus non cadit. Non ab imaginatione; Deus enìm utpotè spiritus, sub imagine corporeâ non potest exhiberi; non à pravis cupiditatibus, quas è contrà coercet suppliciorum metu. Ergo consensus unanimis de existentiâ Dei ex internis præjudiciorum causis non oritur.

Nec etiàm ab externis præjudiciorum causis. Illæ namquè præjudiciorum causæ sunt educatio, exempla, sophismata; quæ

quidèm omnia variant pro variis temporibus, locis & populis. Atqui opinio de existentiâ Dei omnium est temporum, locorum, & populorum, temporisque diuturnitate confirmata est. Ergo &c.

Insupèr nullius hominis authoritate introducta fuit opinio de existentiâ supremi numinis. Vel enìm homo ille privatus fuisset, vel princeps : neutrum dici potest. Non prmum : quis enìm privatus homo suâ potuisset authoritate, vel falsâ persuasione principes & populos religionis legibus subjicere ? Si quis autèm princeps tantum opus perficere suscepisset, nonnè statìm subditorum omnium cupiditates reclamavissent ? Quam etiàm potestatem habuisset, in gentes exraneas & hostes, ut illis onera religionis imposuisset. Hæc certè opinio introduci non potuisset stabilisque permanere, quìn ingens in totâ societate mutatio contigisset, vehemensque ex cupiditatibus vitæ perturbatio & magna confusio ; quæ omnia historiarum authores scriptis suis consignassent, ad posteros transmittenda. Atqui ne verbum quidem de illâ mutatione in populorum annalibus reperitur. Ergo &c.

Obj. 1°. Hominum consensus existentiam Dei certò non adstruit, nisi sit universalis. Atqui universalis non est. Ergo &c.

Dist. min. Consensus hominum non est metaphysicè universalis; conc. min. Non est moralitèr universalis; nego min. & consequentiam.

Consensus metaphysicè universalis est consensus omnium hominum sine ullâ exceptione. Consensus moralitèr universalis est consensus multò majoris & sanioris hominum partis. Jamverò multò major & sanior hominum pars ens supremum admisit, ut constat ex probationibus. Ergo &c.

Instabis. Nullo modo cognosci potest quænam sit omnium gentium de divinitate sententia. Ergo &c.

N. ans. Id certò compertum est tùm ex veteribus Scriptoribus, tùm ex viatorum relationibus fide dignis. Sic illud noverant Plato, Aristoteles, Cicero, Seneca, Plutarchus, Julianus &c. Ergo &c.

Et verò ipsa loquendi ratio quâ utitur Cotta satìs indicat nullam gentem mansuefactam, & excultam extitisse quæ Deum non haberet, nullumque exemplum negatæ divinitatis apud nationes barbaras certum afferri potuisse. Sic enìm loquens inducitur Cotta. *Undè notæ tibi sunt opiniones nationum. Equidèm arbitror multas esse gentes sic immanitate efferatas, ut apud eas nulla suspicio Deorum sit.* Quæ dicta satìs ostendunt Cottam ex solâ

multarum gentium barbarie conjecisse eas in deorum ignoratione versari, non verò ex facto, ant historiâ certâ cognovisse quasdam Gentes Atheas existere. Ergo &c.

Instabis. Ut consensus hominum sit universalis debet esse omnium temporum sicut & locorum omnium. Atqui certò præsagiri non potest quænam futura sit posterorum nostrorum de divinitate opinio. Ergo &c.

N. min. Non enìm divinatione opus est, ut prænoscatur posteros nostros rationis participes futuros esse. Ergo quoniam hominum tùm vitam agentium, tùm vitâ functorum consensus in rationis lumine fundatur; hoc certè compertum habemus posteros nostros eamdem sententiam esse defensuros. Igitùr insulsæ sunt quæ de hominibus extituris injiciuntur suspiciones : præsertìm cùm opinio de supremi numinis existentiâ fortioribus & clarioribus in dies demonstrationibus fulciatur.

Instabis. Constat ex veteribus Scriptoribus, novisque viatorum relationibus, non paucos homines solùm, sed nationes integras extitisse multas, atque etiamnùm existere, quæ Deum nullum venerantur ; quod multis exemplis probat Baylus. Ergo consensus hominum non

est moralitèr universalis.

Nego ans. Authorum enim testimonia quæ refert Baylus, vim probationis nostræ non elevant; tùm quià illis adversantur Scriptores notissimi, quos jàm laudavimus; tùm quià sæpè conjecturæ sunt, sæpè parùm secum cohærent. Sic cùm Macrobius gigantes Atheos dicit, arbitrariam fabulæ explicationem exponit, facto nullo dicta sua confirmat. Sic Tullius Gallos à religione alienos scribens non secum consentit, majoremque fidem meretur Cæsar, qui Gallorum nationem omnem asserit religionibus deditam. Tùm quià fatendum est Nationes Atheismi suspectas omninò incultas fuisse & barbaras. Verùm, ut ait Porphyrius, ex gentibus illis tàm efferatis & inhumanis non oportet ab æquis judicibus convicium fieri naturæ humanæ. Pessimè namque ratiocinaretur, qui de animi humani dotibus vellet ex idiotis & amentibus judicari.

Quod autèm ad viatorum relationes attinet, dico illas non sine examine & cautione audiendas esse.

1°. Quià sæpè contigit ut viatores apud populos quorum religionem referunt, per brevius temporis intervallum commorati sint, ut eorum sententiam de Deo possent cognoscere.

2°. Quià sæpè illorum linguam non callebant; ideòque cum illis nec sermonem conferre poterant, nec audebant.

3°. Hoc solo sæpè nituntur viatorum relationes, quod templum nullum apud illos populos vidissent. Verùm minimè mirari debemus, quod templa nulla extiterint apud populos, qui vagi & palabundi sine civitate, sine lege vitam ducerent.

4°. Quià contradicuntur illæ relationes aliis viatorum relationibus fide dignis. Sic Canarienses quos Columbus atheismi accusaverat, unum Deum virtutis remuneratorem, & sceleris vindicem admisisse constat ex historiâ quæ refert, quâ ratione subactæ fuerint Canariæ Insulæ. Falsò etiàm accusati sunt Brasilienses & Canadæ populi, qui non modò Deum agnoscunt, sed Sacerdotes habent, per quos sacra celebrent. Apud Sinas quidam cernuntur Athei cæteris despecti, sed major hominum litteratorum pars majorum religionem sequitur, quâ Deum unicum bonum, rerumque omnium conditorem, providumque moderatorem colunt. Ergo &c.

Instabis. Ut ut sit, certum manet quosdam esse populos incultos quidèm & barbaros, qui nullam vim & naturam deorum agnoscant. Atqui cùm ex homi-

num consensu probanda suscipitur Dei existentia, tàm audiendi sunt qui Deum non admittunt, quàm qui Deum venerantur. Ergo &c.

N.-min. Cùm enìm quæratur hîc quid natura, lumenque rationis homines docuerit, hominum barbarorum & immanitate efferatorum, qui pecudum more nihil habent in animo, nisi quæ ad vitam necessaria sunt, non major habenda est ratio, quàm infantium & amentium. Quoniàm ex immanitate solâ & stupore Deum potiùs ignorant, quàm negant; nec in illis rationis lumen evolutum est & excultum magìs, quàm in amentibus vel infantibus. Ut enìm observat Aristoteles; quid naturale sit spectandum in his, qui benè secundùm naturam se habent.

Instabis cum Baylo. Probari non sufficit intèr gentes cognitas nullam esse atheam, sed perfectâ enumeratione ostendendum in regionibus Australibus, aliisque incognitis nullam reperiri, quæ supremi Numinis neget existentiam: quod probari non potest. Ergo consensus non est universalis.

Nego ans. Ex nationibus enìm cognitis possumus de incognitis concludere. Nàm apud Physicos summa vis est analogiæ, quâ concluditur omnia corpora etiàm ig-

nota quibusdam donari proprietatibus aut qualitatibus, ex eo quod qualitates illæ in corporibus notis sempèr observentur. Sic concludunt corpora etiàm ignota vel minutissima gravitare, quod corpora quælibet cognita gravitatione deorsùm ferantur. Sic etiàm benè concludimus regionum Australium incolas iisdem ac cives nostros propensionibus, iisdemque affectibus præditos esse. Ergo & benè concludimus apud gentes ignotas, quæ ratione suâ utuntur, supremi Numinis vim ac naturam non esse ignotam.

Dices. Consensus simulatus & fictus, nullius est ad probandum roboris. Atqui consensus hominum de existentiâ Dei simulatus est & fictus. Quî enìm fieri posset, ut pleraque hominum pars quæ in audendis sceleribus tàm est projecta, ens aliquod præpotens scelerum vindex ex animo crederet. Ergo &c.

N. min. Hæc enìm intèr animi sententiam & agendi rationem contradictio ipsi Baylo concilianda manet, cùm certissimum sit plerosque homines & Deum existere, & futuras in alterâ vitâ improborum pœnas ex animo credere; nec tamèn in patrandis sceleribus minùs audaces esse.

Et verò perpetuam mores intèr & animi sententias contradictionem; ex quâ

ſequuntur conſcientiæ angores & animi cruciatus non ſuſtinuiſſent homines, niſi evidenti ratione cogerentur opinionem de ſupremi numinis exiſtentiâ amplecti. Ergo hæc ipſa contradictio Dei exiſtentiam evidentèr adſtruit.

Ideò autèm & ſupremi numinis exiſtentiam ex animo credunt, & ſcelera perpetrant; quià commodis vitæ præſentis & voluptatibus afficiuntur, quàm futuris pœnis vividiùs; à quibus cogitationem quantùm poſſunt avertere curant; aut quià ſperant divinitatem poſſe in poſterùm ſuis precibus, boniſque operibus placari.

Obj. 2°. Conſenſus qui ſimilitèr in erroris patrocinium afferri poteſt, nihil probat.. Atqui conſenſus hominum unanimis poteſt ſimilitèr in erroris patrocinium afferri. Sic homines omnes vel ipſi Philoſophi crediderunt olìm qualitates ſenſibiles ex. gr. colores in corporibus exiſtere; nullos eſſe antipodas exiſtimaverunt; eclipſium præſagia crediderunt, & cometarum minas, & divinationem; polytheiſmum & idololatriam amplexi ſunt. Ergo &c.

Diſt. maj. Conſenſus qui ſimilitèr in erroris patrocinium afferri poteſt, nihil probat; ſi fundetur in præjudiciis ſenſuum, vel cupiditatum, conc. maj. Si nedùm

ab illis præjudiciis oriatur, è contrà opinioni illi cupiditates adversentur, n. maj. Et sic dist. min. & cqm.

Itaquè ad probandam alicujus propositionis veritatem ostendere non sufficit homines omnes in illâ credendâ fuisse concordes. Error enim potest esse universalis, cùm sint quidam præjudiciorum fontes hominibus omnibus communes, ut impressiones in externis sensibus factæ, ut vis imaginationis, ut cupiditates.

Verùm jàm probavimus consensum hominum de supremi numinis existentiâ prædictis errorum fontibus potiùs adversari, quàm ex illis dimanare. Contrà verò errores in objectione expositi manifestam ex illis præjudiciis ducunt originem.

Nàm 1°. impressiones in externis sensibus factæ nos impellunt, ut sensationes nostras ad corpora referamus. Hinc creditum est colores in corporibus existere.

2°. Cùm imaginatio fingat antipodas inversos, eorum pedes sursùm, caput verò deorsùm repræsentet, ideò recusat eos admittere; quià si globus ingens in medio aëris suspensus maneret, non posset homo in illo consistere, si pedes inferiori globi illius parti applicarentur.

3°. Infausti quidam eventus sæpè post siderum eclipses & cometarum appari-

tiones cùm contigissent, illos ad hæc phœnomena tanquàm ad causas retulerunt, notissimo sophismate delusi; *post hoc, ergo proptèr hoc.*

4°. Errores expositi plerùmque versabantur circà quæstiones obscuras, intricatas, nec ad vulgi captum accommodatas, utpotè quæ accuratam siderum notitiam postularent. At possunt facilè vel ipsi rudes & imperiti persentiscere vim esse quamdam cuncta cum consilio gubernantem; etiamsi non clarè intelligant quænam sint illius attributa, quæ ratio administrationis. Quemadmodùm intelligunt horologium non sine artificis industriâ fuisse efformatum; quamvìs in horologio multa sint illis ignota.

5°. Astrologia judiciaria, divinatio, polytheismus, idololatria nunquàm omnium animos occuparunt. Illorum initia, causas, progressus, variationes novimus. E contrà verò opinio de existentiâ supremi numinis.

Tandèm, prædicti errores attentione correcti sunt. Opinio verò de existentiâ Dei magìs ac magìs in dies confirmatur. Hominum autèm commenta delet dies, naturæ judicia confirmat. Ergo multiplex disparitas est.

Instabis. Consensus ille si quid probat, unum id probat, in quo homines omnes

consentiunt. Atqui consentiunt dumtaxàt in admittendâ deorum corporeorum & imperfectorum multitudine. Ergo &c. Proindè nihil probat.

1°. Nego min. Etenìm Israelitæ omnes, & cum ipsis sapientes & periti apud cæteras gentes, unicum admittebant Deum præstantissimæ mentis à corporibus omnibus sejunctum, orbisque universi moderatorem. Ergo &c.

2°. Dist. maj. Consensus ille unum id probat in quo consentiunt omnes ex rationis dictamine; conc. maj. Ex præjudiciis, n. maj. Et sic dist. min. n. conseq. Jàm verò homines ex rationis lumine supremam agnoscebant potentiam orbis moderatricem, scelerum vindicem, virtutisque remuneratricem. Præjudiciis autèm factum est ut corpus, aliasque imperfectiones & vitia plebs ignara illi Deo tribuerit.

Nàm 1°. cùm rudes & imperiti homines toti essent in sensibus, nihilque sibi fingere possent nisi corporeum, mirum non est si sensibus & imaginatione decepti Deum finxerint corporeum.

2°. Divinitatem ex hominibus metientes unicum Deum imaginari non potuerunt regendo orbi universo parem. Ideòque mundi administrationem in multos deos partiti sunt.

3°. Vitiis deos inquinaverunt, ut suis cupiditatibus tanto exemplo authoritatem conciliarent. Ergo hæc omnia sunt præjudiciorum fœtus.

Instabis. Si consensus ille ex rationis lumine oriretur, idem ab omnibus numen summèque perfectum admissum fuisset. Atqui multa diversaque varias apud gentes numina constat extitisse. Ergo &c.

Dist. maj. Idem numen in iis quæ spectant ad summam & caput rei præsentis; conc. maj. In iis quæ ad summam & caput rei non pertinent; n. maj. In præsenti argumento non tàm agitur de naturâ vel unitate Dei, quàm de ejus providentiâ. Quod præcipuum est & summa rei, illud esse dicimus, an existat Ens supremum virtutis remunerator, scelerumque vindex, quod rebus mundanis præsideat, & invigilet. In his autèm, quæ negant Athei, unanimem fuisse consensionem ostendunt templa varias apud gentes extructa, sacrorumque celebrationes, &c. In aliis verò capitibus sententiarum diversitates & variationes satìs declarant hæc ex præjudiciis esse oriunda. Ergo &c.

Inst. Quibus certissima visa sunt principia, ex quibus evidentèr sequitur nullum existere ens supremum quod moderetur orbem, hi nonnisi ex præjudiciis

potuerunt ens illud agnoscere. Atqui populi omnes & apud illos docti simùl & indocti certissima habuerunt principia, ex quibus manifestè sequitur nullum esse ens supremum quod orbem moderetur. Nàm sapientes ipsi & Philosophi persuasum habebant creationem esse impossibilem: alii mundum qualis nunc conspicitur æternum esse & necessarium asserebant, alii quamplurimi materiam & motum necessaria esse arbitrabantur. Jàm verò, inquit Tullius, si non est à Deo materia facta, ne terra quidèm, & aqua, & aer, & ignis à Deo factus est: atqui sic Dei operatio inutilis colligitur. Ergo &c.

Respondeo. Multa hoc in argumento confunduntur, quæ sunt accuratè distinguend. 1°. Nàmque Plato Deum orbis aspectabilis effectorem statuit, quem è nullâ re subjectâ summus artifex eduxerit, cùm sola ejus voluntas sufficiat ut res existant. Eamdem sententiam quibusdam Pytagoreis adscribit doctissimus Huetius. Quare falsum est quod dicunt authores Dictionarii Encyclici, articulo *Création*, intèr veteres Philosophos nullum extitisse, qui creationem admiserit.

2°. Etiàmsi quidam veteres Philosophi dixerint mundum ab æterno perseverare ornatissimum; eum tamèn necessarium

non arbitrabantur. Ariſtoteles enim gloriatus eſt primum ſe docuiſſe mundum ab æterno exiſtere. Tamèn ipſe contendebat neminem eſſe poſſe, qui ex mundani ordinis conſideratione non concluderet hæc tanta opera deorum eſſe.

3°. Sententia communior eorum erat qui materiam æternam eſſe & neceſſariam dicebant; ſimùlque certum eſſe putabant eam ab ente ſupremo diſpoſitam fuiſſe & ordinatam, ſicque efformatum fuiſſe mundum pulcherrimum & ornatiſſimum. Hi Philoſophi, teſte Tullio, Deum comparabant cum fabro & opifice, qui materiam non facit, ſed eâ utitur quæ parata eſt; eamque variâ partium diſpoſitione figuris quibuſlibet induit. Quod, qui dubitet, inquiebat Cicero, haud ſanè intelligo, cur non idem Sol ſit, an nullus ſit dubitare poſſit. Quare cùm Epicurus auſus eſt aſſerere mundum effectum fuiſſe ornatiſſimum ex atomorum concurſione fortuitâ: tàm abſurda viſa eſt ejus ſententia, ut eum ne hominem quidem dicendum putaret Tullius.

Itaque eò reducenda eſt objectio propoſita. Veterum Philoſophorum parti maximæ certum videbatur materiam eſſe neceſſariam; atqui hoc poſito nonniſi ex præjudiciis poterant ens, quod univerſum moderaretur orbem admittere. Ergo &c.

N. min. Nàm ut jàm demonstratum est, suppositis etiàm materiâ & motu, numen præstantissimæ rationis necessariò admittendum est, cujus sapientiâ partes materiæ admirabilem, quâ donantur, ordinationem acceperint; quam casu vel necessitate habere non potuerunt, nec conservare.

2°. Etiamsi suppositâ materiæ necessitate, sequeretur mundum integrum esse necessarium; id tamèn non tàm perspicuum est, omnibusque obvium, ut neminem etiàm peritum fugere possit. Quod satìs ostendit comparatio Dei cum artifice, quâ veteres Philosophi utebantur. Poterant igitur admisso principio consecutionem non admittere; quod in quæstionibus intricatis plerùmque usu venit.

Obj. 3°. Vel consensus hominum spectatur cum motivo ex quo ducit originem, vel solus & independentè à quocumque motivo consideratur. Si primum dicatur; ergo motivum consensus solum, non verò consensus ipse probat. Quare argumentum ex consensu petitum vim propriam & ab aliis diversam nullam habet. Si secundum, consensus in se solum spectatus potest errori perindè ac veritati patrocinari; cùm multi communes sint errorum fontes, ùt sensus externi, ut imaginatio. Ergo consensus hominum

etiam universalis non probat Deum existere.

N. ans. Neque motivum solum ex quo consensus oritur, neque consensus solus & in se præcisè spectatus in probationem adducitur, sed consensus quatenùs ex rationis lumine, non verò ex præjudiciis originem ducit. Ergo &c.

Obj. 4°. Opinio de existentiâ supremi numinis ex metu oritur. Cùm enim homines naturâ timidi sint & imbecilli, multa sibi fingunt terribilia, quæ nusquàm existunt. Hinc, ait Poeta vetus apud Lucretium, *primus in orbe deos fecit timor.* Ergo &c.

N. ans. Proindè quasi tot sapientes animo fortissimi qui mortem spreverunt, omnis rationis usum vanis terroribus amiserint, dùm pauci Athei qui vel in levissimo mortis periculo toti trepidant, soli imperterrito animo vim metus puerilis repulerunt.

2°. Si opinio de supremi numinis existentiâ ex metu oriretur; id sibi fingerent omninò formidandum, minasque sempèr intentans; verùm è contrà sibi Deum exhibent benevolum, summèque beneficum.

3°. Vel ipsi impii conscientiæ terroribus agitantur scelerum cruciatu vexati. Quid porrò metuendum illis esset, si

nullum existeret ens scelerum vindex. Ergo metus supponit, non gignit ideam supremi numinis.

Imò terrores illos animi, ut sedare possint impii, notionem supremi numinis, quoad possunt, præfocare conantur & delere.

Sicque timor pœnæ sustulit orbe Deum.

Instabis. Ex metu quem tonitru fulmenque injicit, ejus etiam ignorantiâ phœnomeni proficiscitur divinitatis opinio. Ergo ex metu oritur & ignorantiâ.

N. ans. tùm proptèr responsionem præcedentem; tùm quià cognitâ illius phœnomeni causâ, cessasset opinio de existentiâ supremi numinis. Atqui è contrà majorem adepta est firmitatem. Ergo &c.

Obj. 5°. Opinio de supremi numinis existentiâ in legislatorum, reique politicæ peritorum versutiam refundenda est. Ergo &c.

N. ans. 1°. tùm quià nullum hujus rei exemplum afferri potest; quæ tamèn exemplis esset confirmanda; cùm de facto moveatur quæstio. Tùm quià rem ità se habere apertè negat Tullius his verbis: *Nec verò id collocutio hominum aut consensus efficit. Non institutis opinio est confirmata, non legibus.* Et certè videmus legislatores omnes stabilitâ jàm divinitatis opinione usos

usos fuisse, ut legibus suis authoritatem conciliarent.

2°. Viget supremi numinis opinio apud barbaras gentes quæ omni cultu civili destitutæ sunt.

3°. Cùm nulla sit quæstio de quâ magis apud Philosophos disputatum fuerit, cur nemo fraudem detexit? Imò ex quo fraudem prætensam detexerunt Athei quidam; cur tanta est hominum in errore illo perversitas & dementia, ut magistrorum Atheorum dicta contemnant, & exhorreant.

4°. Quî fieri potuit ut opinio quæ supponitur rationi contraria, quæ cupiditatibus molestissima est, nullum adversarium senserit & reclamantem; non plebeios tantùm homines, sed reges ipsos & magistratus, doctos perindè ac indoctos sibi subjecerit, eosque miserâ servitute sempèr oppresserit?

Obj. 6°. Consensus ille supremi numinis existentiam non probat, sed potiùs demonstrat Deum nullum existere. Nàm multò major hominum pars deos admisit multos, eosque imperfectos & cupiditatibus deditos. Atqui illud est Deum nullum agnoscere. Nihil enìm divinitati adversatur magìs quàm multitudo, imperfectiones, pravæ cupiditates. Ergo &c.

Dist. maj. Multò major hominum pars

deos admisit multos, imperfectos, & cupiditatibus deditos, vitiando & corrumpendo præconceptam divinitatis ideam; conc. maj. Non corrumpendo præconceptam divinitatis ideam; n. maj. Expendendum igitur an opinio de supremi numinis existentiâ ex cupiditatibus nata fuerit, an verò præconcepta jàm divinitatis idea per ignorantiam & cupiditates postmodùm vitiata fuerit & corrupta.

Certè opinio & idea divinitatis ex cupiditatibus non ducit originem: tùm quià quænam est connexio intèr pravas cupiditates, & ens aliquod supremum? Tùm quià vigebat apud omnes illud dogma, nempè probos manere aliquam mercedem, improbos verò pœnam à diis rependendam. Jàm verò quî fieri potest, ut ex cupiditatibus nascatur opinio, quæ cupiditates ipsas comprimit? Tùm quià sapientes & Philosophi apud gentes Ethnicas adversùs plebem corruptam vehementèr insurgebant, eò quòd diis vitia tribuerent, à quibus homines rationem ducem sequentes abhorrebant. Ergo opinio de Dei existentiâ cupiditatibus non est adscribenda; sed potiùs per ignorantiam & cupiditates vitiata fuit & corrupta. Cùm enìm supremum numen orbis universi moderator, (quod ex mundani ordinis contemplatione tàm facilè

concluditur exiſtere, quàm opificis induſtria elucet ex operibus artis exquiſitæ,) non conſpiciatur oculis, nec per ſenſus determinari poſſit quodnam illud ſit; ideò varia varii populi ſibi finxerunt numina, diverſis nominibus appellata. Imò cùm Deum unicum rebus innumeris omnibus providentem mente non caperent, multos admiſerunt deos quibus varias demandarunt provincias, cœlum Jovi regendum tribuerunt, Neptuno maria, Cereri agros, Plutoni inferos. Exardeſcebant interìm cupiditates, quibus patrocinium atque authoritatem quæſierunt Poetæ, ſuiſque cantibus perſuaſerunt corruptæ plebi deos ipſos iiſdem propenſionibus ac homines, iſdemque ignibus inflammatos eſſe; quod etiàm ſæpè noſtris temporibus auditur. Hinc plebs ignara cupiditatum Deos libertèr admiſit, quos Philoſophi & ſapientes aſpernabantur. Ergo præconcepta opinio de ſupremi numinis exiſtentiâ per ignorantiam & cupiditates fuit deformata.

Obj. Tandèm in rebus ſpeculativis quæ ſub ſenſus non cadunt, teſtimonium hominum nullius eſt authoritatis. Atqui exiſtentia Dei ſub ſenſus non cadit. Ergo &c.

Diſtinguo maj. In rebus quæ ſub ſenſus non cadunt, nec ex rebus ſenſibilibus

facilè concluduntur; transeat maj. Si facilè colligantur ex rebus sensibilibus; n. maj. Jàm verò existentia Dei facilè colligitur ex rebus sensibilibus, ut patet ex dictis. Ergo &c.

Quæritur nunc quâ ratione in nobis efformetur idea Dei.

Resp. 1°. Ideam Dei non esse innatam, ut in Logicis probatum est. Imò inutilis esset tàm præcox idea Dei quâ nonnisi longo post tempore uti possemus; & cujus existentia nullo adstrui potest argumento.

2°. Idea Dei comparatur per reflexionem, tùm in animum nostrum, tùm in res corporeas & sensibiles, prout in demonstrationibus jàm allatis expositum est. Quare idea Dei non acquiritur immediatè per sensus; cùm Deus, qui spiritus est, sub sensus cadere non possit. Verùm res extrà nos positas sensuum ope cognoscimus; atque ex orbis universi contemplatione facilè assurgimus ad ideam entis supremi, quod tantùm opus effecerit atque moderetur. Hinc fit ut invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciantur.

At, inquies, per sensus acquirere non possumus nisi ideas rerum, quæ in objectis sensuum reperiuntur. Ergo per sensus acquirere non possumus ideam entis summè perfecti.

Retorqueo argumentum. Per sensus acquirere non possumus nisi ideas rerum quæ in objectis sensuum deprehenduntur. Ergo cùm in horologio, in tabellâ pictâ, vel statuâ, nihil sit nisi corporeum, nulla verò cogitatio aut intelligentia; ex illorum omnium consideratione non possumus ideam opificis intelligentis colligere.

2°. Dist. ans. per sensus &c. Si ratiocinium nullum aut reflexionem adhibeamus; conc. ans. Si ratiocinemur ex iis, quæ sensuum ope in rebus corporeis deprehenduntur; n. ans. Cùm orbem universum contemplamur, videmus corpora, motum, admirabilem non solùm in orbe universo sed in multis partibus ordinationem, leges motûs quibus mundus regitur. Ratiocinando facilè cognoscimus hæc omnia esse contingentia, nec à se ipsis aut à nihilo facta. Ex quibus evidentèr concludimus existere ens æternum, necessarium, numenque præstantissimæ mentis quo mundus effectus sit & ordinatus, summâque providentiâ regatur.

Consectaria.

Ex demonstrationibus existentiæ Dei jàm traditis, quædam apertè deducuntur Dei perfectiones & attributa, quæ totidèm propositionibus demonstranda sunt.

PROPOSITIO I.

Deus est omnipotens.

Demonstratur. Deus est orbis universi creator, variarum ejus partium ordinator, summusque moderator. Atqui orbis universi creator & moderator est omnipotens. Ens enìm omnipotens illud est quod facere potest quidquid est possibile. Atqui orbis universi creator & moderator facere potest quidquid est possibile. Etenìm ad mundi creationem & ordinationem tanta concipitur requisita potentia, ut ipsi Athei libentèr fateantur ens fore omnipotens quod orbem universum hujus nostri similem è nihilo posset educere. Enimverò Deus orbis universi creator tantâ præditum esse debet potentiâ, ut ad ejus imperium & voluntatem res omnes è nihilo prodierint. Atqui ens cujus voluntas tantâ vi pollet & efficientiâ, concipitur efficere posse quidquid est possibile. Ergo est omnipotens.

PROPOSITIO II.

Deus est summè intelligens.

Demonstratur. Ut Deus orbem creaverit, ordinaverit, & moderetur, necesse est ut omnium animorum, variumque

corporum quæ innumerabilia sunt, essentias, proprietates, affectiones, figuras omnes cognoverit, vegetantium similitèr & animantium partes omnes, earum situs, cognationes, usus, fines, variasque rationes quibus intèr se componi possunt, leges omnes motûs quæ sivè in corporibus inanimatis, sive in corporibus vegetantibus & animatis observantur, earumque legum effectus diversos. Atqui ens quod hæc omnia clarè & distinctè perspicit, summâ viget intelligentiâ. Ergo &c.

Et verò orbis universi creator efficere potest quidquid est possibile. Ergo id omne cognoscit. Proindèque summè intelligens sit, necesse est.

Dices. Ex creatione mundi, ejusque ordinatione quantùmvis admirabili demonstrari non potest intelligentiam Dei infinitam esse. Nàm effectus finitus intelligentiam dumtaxàt finitam in opifice postulat. Atqui mundus est finitus: homines enìm corpora, animorum affectiones, corporum figuræ, leges motûs, verbo dicam; omnia quæ cernuntur, & existunt in mundo, finita sunt. Ergo &c.

Dist. maj. Effectus finitus intelligentiam dumtaxàt finitam in opifice postulat, si possibilium omnium cognitionem non arguat; conc. maj. Si possibilium om-

nium cognitionem simùl arguat; n. maj. & sic dist. min. n. cqm. Esto, nihil in mundo sit nisi finitum, quod ab iis negatur qui partes continui infinitas esse contendunt. Quæ quidèm est communior Philosophorum sententia. At certè ens quod ad voluntatis suæ nutum potuit è nihilo mundum aspectabilem educere, tantâque industriâ partes omnes ordinare; potest pari facilitate mundos omnes possibiles efficere. Atqui id præstare non posset, nisi possibilia omnia cognosceret. Ergo possibilia quæque cognoscit; ideòque infinita est ejus intelligentia.

Prætereà ex creatione mundi & ordinatione perspicuum omninò est intelligentiam Dei summam esse, hominumque intelligendi vi multo superiorem. Atqui unum id quod probandum suscepimus, nobis sufficit. Ex hoc enìm sequitur Deum posse res innumeras percipere quæ nunquàm nobis innotescere possunt; ipsi proindè fidem immeritò denegari, ex eo quod per rationis lumen intelligere non possimus, quomodò vera sint quæ credenda nobis proponit. Quare etiamsi accuratè & præcisè infinita non demonstraretur Dei intelligentia, hoc ipso quod evidentèr ostenditur eam esse nostrâ multò superiorem, nec ullam in quolibet ente existente dari posse æqua-

lem; profectò sequitur necessariò obsequium intellectûs quemadmodùm & voluntatis Deo summè intelligenti debitum esse. Hincque religionis & cultûs necessitas stabilitur.

PROPOSITIO III.

Deus est summè sapiens.

Demonstratur. Ens sapiens est cùm finem optimum intendit, mediaque assumit ad finem illum assequendum idonea. Atqui sic se gerit Deus; cùm enìm summâ ratione præditus sit non potest intendere finem qui non sit optimus; cùm sit summè intelligens, media cognovit ad finem obtinendum aptissima; cùm sit summè potens, nihil impedit quominùs his mediis utatur. Ergo &c.

Et verò non modò ex orbis universi contemplatione, in quo Sol constantissimè conficit vicissitudines anniversarias, cum summâ salute & conservatione rerum omnium, sed etiàm ex jàm traditâ corporis humani brevi descriptione perspicuum est omnes corporis nostri partes ad usus suos mirificè factas & collocatas fuisse: quod summam opificis sapientiam demonstrat. Ergo &c.

Dices. Res jàm existentes in usus nostros convertimus; verùm conditæ non

sunt, ut iis uteremur. Ità Lucretius, Lib. 4.

Nil ideò natum est in corpore ut uti
Possemus, sed quod natum est, id procreat usum.

Et verò, inquit Carthesius, quos sibi Deus fines proposuit, neque cognoscere possumus, nec tantùm nobis arrogare licet, ut ejus consiliorum velimus esse participes. Ego &c.

N. ans. Si enìm res conditæ non fuissent ut iis uteremur, determinatos quosdam usus ex se nullos haberent, sed cùm ad multa & diversa forent indifferentes, illas ad hunc usum potiùs, quàm ad alium industriâ & electione nostrâ converteremus. Atqui illud absurdum est. Quis enìm vel cogitare poterit electione nostrâ factum esse, ut oculos ad videndum, aures ad audiendum, os ad manducandum adhiberemus. Ceu verò auribus uti possemus ad videndum, & oculis ad audiendum; cùm nihil sit in oculis quod ad visionem non sit accommodatum, nihil in auribus, quod excipiendis sonis non sit aptissimum.

Itaquè quamvis fines omnes quos intendere voluit Creator non perspiciamus, ex effectibus tamèn & usibus variarum rerum possumus fines quosdam à Creatore intentos cognoscere. Atque cùm fines

illos investigamus, nedùm arrogantiæ possimus incusari, quasi consiliorum Dei velimus esse participes; è contrà gratum animum ergà summum benefactorem extinguit Carthesius, cùm fines illos nobis utiles à Deo intentos non fuisse contendit.

PROPOSITIO IV.

Deus est summè perfectus.

Demonstratur. Deus est spiritus necessariò existens, omnipotens, & summè intelligens. Atqui talis spiritus debet esse summè perfectus, cùm enìm existentia non sit attributum aliquod vel modus essentiæ superadditus, ut in Ontologiâ demonstratum est; ideò solùm spiritus aliquis necessariò existit, quià ejus natura & perfectiones exigunt existentiam, nec aliquandò esse possunt in nihilo: atqui sola natura summè & infinitè perfecta potest existentiam exigere. Concipimus enìm spiritus alios aliis quasi in infinitum perfectiores, qui tamèn non existunt. Ergo natura quæ existentiam exigit, debet esse summè & infinitè perfecta.

Et verò possibiles concipiuntur mundi alii aliis sine fine perfectiores, quos Deus efficere potest. Atqui causa nobilior est & perfectior suo effectu. Ergo Deus debet esse summè & infinitè perfectus.

2°. Quo attibutum alicujus entis constitutivum est perfectius, eò natura perfectior est, eò plures ex illo fluunt proprietates & perfectiones : atqui attributum Dei constitutivum est summa quædam perfectio. Nàm quodcumque sit illud attributum constitutivum ex eo dimanant omnipotentia, summaque intelligentia; atqui nisi attributum constitutivum perfectio tanta esset quanta cogitari non potest; ex eo non fluerent perfectiones summæ. Ex perfectione enìm sic limitata ut major esse possit, nunquàm dimanare possunt perfectiones summæ. Ergo &c.

Et verò quodlibet ens concipiamus contingens & in suis perfectionibus ità limitatum ut plures aut majores habere possit, illud ens non concipimus omnipotens, summèque intelligens. Ergo ens necessarium omnipotens, summèque intelligens, debet esse summè & infinitè perfectum.

3°. Ens illud est summè perfectum quod supponi non potest carere perfectione quâdam possibili, & cum aliis compossibili, quin eam statìm sibi det. Atqui talis est Deus. Cùm enìm sit summè intelligens cognoscit perfectiones omnes possibiles, & intèr se compossibiles; cùm sit omnipotens, eas potest sibi dare. Cùm

se necessariò amet, non potest quod ipsum perficit & beat, negligere, libentèrque respuere. Ergo &c.

Dices. 1°. Malè concludimus Deum esse summè perfectum, eò quod sit ens necessarium. Nàm essentiæ rerum necessariæ sunt, quamvis imperfectæ, & admodùm limitatæ. Ergo &c.

Respondeo. Argumentum illud putidam esse, miseramque cavillationem. Etenìm essentiæ rerum contingentium necessariæ non dicuntur nisi necessitate convenientiæ, & proptèr principium contradictionis, quià alioquìn idem esset simùl & non esset. Ex. gr. circuli essentia dicitur necessaria, quià si circulus non esset rotundus, esset simùl & non esset circulus. Non verò dicuntur necessariæ, quià necessariò existunt. Ergo &c.

Dices. 2°. Ideò probatur ens necessarium infinitè perfectum esse, quià nec à se, nec ab alio limitari potest; atqui hæc ratio nulla est, cùm nulla requiratur causa, quâ limitetur. Etenìm nihilum nullam requirit causam: atqui limitatio est nihilum. Nàm limitatio est negatio perfectionis ulterioris: atqui negatio omnis est nihilum. Ergo limitatio est nihilum, proindèque causam positivam non postulat.

1°. Negari potest major propositio:

non enim hoc argumentum adhibuimus, ut Deum summè perfectum esse demonstraremus.

2°. Nego min. ad cujus probationem dist. maj. Limitatio utpotè nihilum nullam requirit causam ut producatur, c. maj. Ut in ente reperiatur, quod perfectiones omnes exigit; nego maj. Jàm verò natura, quæ in perfectionibus quas habere posset, limitatur, nulla concipitur necessaria, nulla omnipotens, & summè intelligens; solaque natura summè perfecta concipitur existentiam necessariò exigere. Ergo assignanda est ratio & causa quæ impediat, quominùs ens necessarium mundi creator perfectionibus omnibus exornetur.

A denominatione entis infinitè perfecti consultò abstinuimus, tùm ut cavillationibus & controversiis de nomine locus non relinquatur; tùm quià certum videtur ideam numeri infiniti nullam haberi.

De Atheismo.

Athei ut jam diximus, alii negativi dicuntur, alii positivi & systematici. Athei negativi appellantur qui ne suspicantur quidèm Deum existere, eo quod adeò sunt hebetes, & mentis inopes, ut nunquàm reflectant, rerumque causas non inquirant, sicque de Deo nunquam cogi-

taverint. Hi verò potiùs dicendi ſunt non Theiſtæ, quàm Athei: ignorant enim, non negant Deum exiſtere.

Athei poſitivi & ſyſtematici nominantur qui exiſtentiam Dei negant, & argumentis impugnant. Ejus autèm generis Athei omnes vel mundum, qualis nunc cernitur ornatiſſimus & pulcherrimus, contendunt æternum eſſe & neceſſarium; vel ſi materiam ſolam dicant neceſſariam, mundique ordinem non ſemper extitiſſe fateantur, varias materiæ partes aſſerunt caſu vel neceſſitate diſpoſitas fuiſſe & ordinatas, ſine ullâ ratione aut conſilio; ideòque nullum exiſtere numen præſtantiſſimæ mentis quo mundus effectus fuerit, aut mundi partes diſpoſitæ; nullum Deum ſupremum moderatorem quo rerum univerſitas regatur, quique rebus mundanis & humanis provideat.

Inter Atheos ſyſtematicos & ſpeculativos alii ſunt qui pro certo arbitrantur Deum nullum exiſtere; alii verò qui dubitant, & omninò incertam exiſtimant Dei exiſtentiam; eaque de causâ appellantur incrèduli, ſeu inconvicti.

Athei practici nominati ſunt impii quidam homines, qui conſcientiæ ſtimulis agitati, cùm in ſuis criminibus perturbentur, Deum nullum eſſe peroptarent, ut poſſent voluptatibus indulgere, ideòque

in omne latus se vertunt, ut quam certissimam credunt Dei existentiam, infirmare valeant & evertere. Hi autèm desiderio Athei sunt, opinione, mentisque sententiâ non sunt. Imò libentèr crederent Deum esse orbis universi conditorem, dummodò piorum & impiorum rationem non haberet.

Certum omnibus videtur olìm extitisse, & barbaras apud gentes etiamnùm existere quosdam homines immanitate efferatos, qui Deum nullum agnoscant eo quod pecudum moro viventes toti sint in rebus corporeis, aliumque nullum rationis usum habeant, nisi ut pastum quærant & latibula.

Multos etiàm nùm existere impios homines qui supremi numinis ideam & opinionem è mente suâ delere conentur, deumque nullum esse peroptarent, confessa res est.

Quæstio itaque solùm movetur de Atheis positivis & systematicis, quos nullos extitisse aux existere quidam philosophi cum Theologis multis opinantur, eoquod existentia Dei multis, evidentibusque argumentis demonstretur ad omnium captum accommodatis, ideòque sit cognitu facillima. Imò periculosum esse putant, si concedatur quosdam homines potuisse supremi numinis existen-

tiam bonâ fide negare ; proinde quasi hæc quorumdam stultorum opinio traditas de existentiâ Dei demonstrationes infirmare posset atque elevare.

Alii econtrà Philosophi & Theologi sentiunt quosdam extitisse Atheos positivos & etiamnum existere. Quam in rem Nicolius Epistolâ 45. *Il faut*, inquit, *que vous sachiez que la grande hérésie du monde n'est plus le Calvinisme, ni le Lutherianisme, que c'est l'Athéisme ; & qu'il y a toute sorte d'Athées, de bonne foi, de déterminés, de vacillants, & d'entêtés.* His autèm rationibus nituntur.

1°. Teste Cicerone, inquiunt, protagoras Theodorus, Diagoras apertè naturam Deorum è medio sustulerunt ; Epicurus materiam necessariam propugnavit, mundumque pulcherrimum effectum esse fortuito Athomorum concursu. Illis veteribus Atheis accensentur Lucretius, Plinius Junior. Cum aliis Stratonici opinabantur non solùm materiam, sed mundum ornatissimum qualis conspitur æternum esse & necessarium, nullumque existere orbis providum moderatorem, sed omnia fatali necessitate contingere. Inter recentiores Atheos præsertìm numerantur Vanini, qui tolosæ proptèr suam impietatem igni traditus est, hobbius, & spinosa 2°. Impii homines multi reperiuntur qui supremi

criminum vindicis existentiam suis cupiditatibus molestissimam nullam esse exoptant; ideòque nervos omnes intendunt, ut sibi persuadeant Deum non existere. Sed qui sic animo affecti sunt, possunt tandèm eò deduci, ut Deum non existere arbitrentur. Si enim, ut loquebatur Augustinus, sanctum est quod volumus, licet aliis evidentèr malum & injustum videatur; falsum similitèr erit, quod vehementèr optabitur, etiamsi perspicuum sit & apertum. Attentionem omnem ad objectiones quæ proponuntur contrà quædam Dei attributa, vel providentiam convertent, avertentque â principiis solutionum. Imò objectiones illas assument in probationes, ut supremum numen è medio tollant, demonstrationes verò de existentiâ Dei quantumvis perspicuas excoecante cupiditate vel spernent, vel spectabunt tanquàm meras difficultates, quæ quidèm non facilè enodantur, sed quas probationibus suis infirmiores judicabunt. Quid non mortalia pectora cogunt, quid non suadent cupiditates, vitæque liberioris desiderium?

Et verò in confesso est quosdam homines de existentiâ Dei reverà dubitasse, nostrisque temporibus dubitare; qui idircò inconvicti nominantur. Atqui latum non est discrimen intèr dubitationem de

existentiâ Dei, & positivum Atheismum; eædemque cupiditates quæ in dubitationem deduxerunt, cum incitatæ semèl, nullo modo sustineri possint, mox in apertam negationem rapient. Ergo &c.

Quapropter, inquiunt, nullus quidem esse potest Atheus de suo systemate convictus: ad hoc enim requireretur, ut de non existentiâ supremi numinis demonstrationem haberet, quæ haberi omninò non potest. Verùm nihil impedit quominùs Sophismatibus, maximè cupiditatibus delusus Deum nullum existere arbitretur. Enimverò Hæretici quibusdam tricis & cavillationibus nixi falsa quædam existimant, quæ catholici judicant evidentissima, omnibusque obvia. Ergo similitèr Athei &c.

Ut ut sit ex Atheorum quorumdam absurdis opinionibus, demonstrationum nostrarum de existentiâ Dei robur non minuitur, cum nulla sit opinio tàm ridicula, quæ patronum quemdam magìs ineptum non inveniat. Cum Academici quidam putaverint nihil esse quod probabile superet aut verisimillimum; quod tamèn evidentiam multarum propositionum & certitudinem Metaphysicam non infirmat, nec destruit. Maximè cùm Atheorum opiniones de origine mundi, plantarum, animantium, cogitationum tam absurdæ

ſint, ut riſum moveant. Tandèm ſivè ex animo ſivè ſimulatè contrà Deum diſputaverint, non minus refellenda ſunt eorum ſyſtemata.

De Atheorum ſyſtematibus.

Primum Atheorum omnium principium eſt ex nihilo nihil fieri, & in nihilum nihil poſſe reverti. Quod ſic intelligunt, ut res nulla fieri poſſit de non exiſtente exiſtens, & vice versâ; ideòque contendunt rem nullam creari poſſe vel deſtrui. Verùm illud ipſum eſt de quo controvertitur, quod gratis & ſine probatione verum ſupponunt; quod nos falſum jam demonſtravimus etiàm in Atheorum principiis, quodque ab omnibus omninò Philoſophis tanquàm abſurdum rejicitur.

Stratonici opinantur mundum ipſum qualis nunc exiſtit ornatiſſimus, æternum eſſe & neceſſarium; atque omnia quæ in mundo contingunt, fatali neceſſitate evenire. Quod ſyſtema cum ſatìs ſupèrque refutatum ſit ex jam traditis de exiſtentiâ Dei demonſtrationibus; ne verbum quidèm addemus.

De ſyſtemate Epicuri.

Academicorum qui mundum neceſſarium eſſe arbitrabantur opinionem impugnavit Epicurus, & docuit orbem univer-

sum, arbores, animantia fortuito casu efformata fuisse. Sic autèm mentem suam explicat.

1°. Summa rerum principia duo esse statuit vacuum immensum & Atomos. Vacui nomine intelligit spatium quoddam negativum & inane, quod veluti locus esset atomorum. Athomos vero appellat materiæ particulas ita exiguas, ut non possent sub sensus cadere nisi multæ simul unirentur.

2°. Atomos æternas esse decernit & necessariò existentes, variisque figuris donatas; cum aliæ sint oblongæ, aliæ sphæricæ aliæ cubicæ, aliæ aduncæ &c. Quare materia in Epicuri systemate necessaria est, non creata, cum, ut opinatur, ex nihilo nihil fiat.

3°. Docet athomos extensas simul esse & indivisibiles, eo quod sint perfectè duræ.

4°. Athomis tribuit motum gravitatis necessarium quo singulæ à summo deorsùm secundùm lineas rectas & perpendiculares per vacuum inane ferebantur. Cùm autèm animadvertissent Epicurei nunquàm fieri posse, ut mundus efformaretur, si atomi secundùm lineas rectas & parallelas in vacuo immenso moverentur, ideò motum alterum excogitaverunt, quem Lucretius Clinamen appellat, quo

factum est ut atomi declinantes à lineâ rectâ, & parallelismo in sese invicèm incurrerint, aliæ aliis proptèr figurarum diversitatem adhæserint, aliæ verò reflexæ sint; sicque fortuitâ atomorum concursione felici casu mundus pulcherrimus effectus sit & ornatissimus. Fortunâ eâdem favente ex limo terræ radiis solaribus calefacto nata sunt varia animantium genera, belluæ & homines, & in quâlibet specie mas & femina, ad quos nutriendos telluris uberi mammarum instar succos fundebant lactis consimiles; ut explicat Lucretius.

Quod autèm attinet ad cogitationes & libertatem quas experimur; atomi ratione nullâ antè donabantur, quam animantia nascerentur; sed posteà cogitationes exortæ sunt ex variâ atomorum compositione, & ex diverso motu in quibus consistunt. Quocircà res substantiales à corporibus diversæ nullæ sunt, sed cogitationes sunt corporum minutissimorum modificationes, & diversæ commotiones. His sic expositis.

PROPOSITIO.

Absurdum est Epicuri systema.

Demonstratur. Illud systema absurdum est, cujus principia gratìs conficta

ſunt, falſiſſima, & inter ſe oppoſita; quibus etiàm poſitis conſecutiones ſunt ridiculæ. Atqui tale eſt Epicureorum ſyſtema. Nam contendunt Athomos neceſſariò exiſtere, eas variis donari figuris, motum ipſis ſecundùm lineas parallelas eſſe neceſſarium, tamèn eas in poſterum à lineis parallelis declinaviſſe, cum in vacuo immenſo gravitate ſuâ deorsùm ferrentur. Atqui 1°. hæc omnia gratìs & ſine ullâ probatione ſupponuntur; 2°. Falſa jàm demonſtrata ſunt in primâ demonſtratione de exiſtentiâ Dei; 3°. Hæc plena ſunt contradictionum. Nam vel Atomi numero infinitæ ſunt vel non. Si primum; ergo nullum eſt vacuum. Si ſecundum, ergo materia non eſt neceſſaria; quippe vacuum aliud nihil eſt, niſi materia poſſibilis nondùm exiſtens. Prætereà quare determinatus eſt earum numerus, ſi neceſſariæ ſint? Quare potiùs illæ quàm aliæ quæ poſſibiles concipiuntur, exiſtentiam neceſſariam ſortitæ ſunt, talemque figuram potiùs quàm aliam?

Supponuntur in vacuo immenſo deorsùm ferri. Contradictorium autèm eſt & ineptum in vacuo immenſo ſursùm aliquod vel deorsùm ſupponere. Cum hæc ad centrum aliquod commune, quod in tali vacuo nullum eſt, relativa ſint.

Supponuntur primùm moveri ſecun-

dùm lineas parallelas, posteà tamèn à parallelismo declinavisse, ut in sese invicèm incurrere possent. Id etiam contradictorium est, cum directio motus non minùs necessaria sit, quam ipse motus. Ideò enim supponuntur necessariò moveri, quià motum ex se ipsis habuerunt; atqui non minùs ex se ipsis tali motus directione donatæ sunt. Ergo non potuerunt à priori directione deviare.

Pbr. secunda pars nempè suppositis principiis absurdas esse consecutiones; id est suppositâ atomorum, & motus necessitate, ejusdemque motus à parallelismo declinatione suppositis nunquam potuisse mundum variasque ejus partes, ut arbores, belluas, homines effici. Quod quidèm perspicuum est ex secundâ & tertiâ demonstratione Physicâ de existentiâ Dei. In principiis autèm Epicuri magis absurdum demonstratur. Nam præcipuæ mundi partes quales sunt planetæ lineas curvas describunt, terra etiàm circà centrum suum volvitur. Atqui hæc omninò fieri non possunt in Epicuri systemate. Nam etiàmsi gratìs omninò supponatur atomos cum à parallelismò deviare cœperunt, non secundùm eamdem directionem omnes declinavisse, sed secundùm diversas omninò directiones sibi invicèm occurrisse; sequitur ad summum atomos quæ ex partibus

tibus omninò oppositis in sese incurrerunt, juxtà sese immotas quievisse; alias verò secundùm innumeras directiones planè diversas fuisse reflexas. Si tamèn fieri potuit, ut motum vel directionem necessariam amiserint. Atqui ex his nascitur quidem motus perturbatus in omnem sensum, non motus constans & regularis secundùm lineas curvas. Ergo &c.

2°. Lineas curvas describere non potuerunt, nisi duplici motu donarentur, altero centripeto, seu tendente versùs centrum aliquod commune, altero secundùm lineam curvæ tangentem. Atqui illud omninò repugnat, tùm quià nullum est centrum commune in vacuo immenso; tùm quià quamvìs centrum aliquod supponeretur, neque ab illo, nec à re quâlibet extrinsecâ motum accipere potuerunt, cùm motum quem habent à se ipsis necessariò habeant, nullaque vis in centro concipiatur; tùm quià etiamsi lineam curvam inchoavissent, nunquàm potuissent eam absolvere; quippè corpus secundùm lineam curvam translatum singulis instantibus nititur à centro communi motûs recedere; & reipsà per lineam tangentem aufugit, nisi sit obex: in vacuo autèm nihil obstaret. Ergo &c.

3°. Mundus efformari non potuisset nec perseverare, nisi natæ fuissent leges

motûs quæ in mundo observantur; atqui certè leges illæ ex declinatione motûs à lineis parallelis, neque potuerunt exurgere, neque stabiles permanere; præsertìm illæ quæ ad motûs obliqui decompositionem spectant. Ergo &c.

Tandèm nisi ex atomis primâ vice in sese incurrentibus pulcherrima mundi ordinatio quæ nunc obtinet, prodierit; nunquàm potuit mundus ex fortuito atomorum concursu efflorescere. Nàm ex primo atomorum occursu debuerunt innumera corpora dura concrescere, sine ullo ordine, sine lege certâ per immensum vacuum errantia. Atqui absurdum est contendere ex atomis primâ vice in sese incurrentibus potuisse mundum hunc aspectabilem efformari; proindè quasi ea demùm motus quantitate, velocitate, directione potuerint in sese impingere, eodemque instanti disponi eâ præsertìm ratione ex infinitis possibilibus, quæ necessaria est ad præsentem rerum omnium ordinationem efficiendam. Si enìm innumerabiles unius & viginti formæ litterarum cœco impetu conjiciantur; evidens est non posse ex his in terràm excussis annales Ennii, deincèps ut legi possint, effici. Ergo meliori jure concluditur mundum efformari non potuisse ex atomis primâ vice in sese invicèm incurrentibus.

Cætera prætermitto argumenta quibus absurda hæc opinio refelli potest.

Obj. Suppositis materiâ & motu, difficilè quidèm est mundum fortuito atomorum concursu effici ornatissimum; id verò non metaphysicè repugnat. Infinitis enìm diversis modis possunt atomi intèr se componi. Atqui si possint infinitis modis diversis intèr se disponi, non repugnat præsentem mundi ordinationem casu fortuito prodiisse. Præsens enìm partium mundi dispositio erat possibilis, imò æquè possibilis, ac quævis altera. Proindè fieri etiàm potuit, ut prima ex fortuito atomorum concursu nata fuerit.

Nego min. ad cujus probationem dist. ans. Præsens mundi partium ordinatio possibilis est, si mundi partes ab ente intelligente disponantur; c. ans. Si partes materiæ fortuito casu, & cæco impetu in sese incurrant; n. ans. & cqm. Intèr infinitas dispositiones atomorum fortuitâ concursione in sese impingentium, præsens mundi ordinatio non reperitur. Quod patet tùm ex probationibus jàm allatis; tùm quià infinitæ illæ atomorum dispositiones, vel, ut aiunt, combinationes, ad summum æquivalent infinitis projectionibus litterarum, quæ cœco impetu in terram excuterentur. Atqui etiamsi innumerabiles litterarum formæ infini-

tiès cœco impetu in terram conjicerentur, nunquàm ex illis in terram excussis possent opera Virgilii vel Ciceronis, deinceps ut legi possent, effici; præsertìm si singulis in projectionibus quædam litterarum formæ sibi invicèm adhærescerent. Ergo à fortiori concludendum est intèr infinitas combinationes atomorum cœco impetu in sese incurrentium possibiles non reperiri præsentem rerum ordinationem.

Id fallit adversarios quod infinitæ atomorum combinationes quas efficere potest ens summè intelligens, confundant cum dispositionibus quæ ex fortuitâ & cœcâ concursione nascuntur. Prioris generis combinationes sunt ordinatæ, posterioris verò generis omnes sunt inordinatæ: quod satis demonstrat adducta comparatio.

Dices. Da mihi, inquiunt Carthesius & Mallebranchius, materiam & motum, & mundum tibi dabo. Ergo in systemate Epicuri mundus effici potuit fortuitâ atomorum concursione.

Respondeo. Audaces nimìs & temerarios fuisse Carthesium & Mallebranchium qui promissis suis stare non potuerunt, ut constat ex utriusque systematis refutatione.

Prætereà non quemlibet motum pos-

tulant, ſed eos eligunt motus quos neceſſarios judicant. 2°. Poſtulant leges motûs quæ in colliſione & decompoſitione obſervantur.

3°. Poſtulant motum circularem, quæ omnia in ſyſtemate Epicuri locum non habent.

4°. Contendunt cogitationes non eſſe poſſe materiæ modificationes.

5°. Fatetur Mallebranchius ex legibus impulſionis efformari non potuiſſe nec conſervari animantium corpora, nec arbores. Ergo ex promiſſis Carthefii & Mallebranchii nihil poteſt in gratiam Epicuri concludi.

PROPOSITIO II.

Cogitationes non poſſunt eſſe modificationes atomorum, nec cujuſcumque corpuſculi.

Demonſtratur multis argumentis.

Primùm. Atomi, portiones materiæ quâlibet ratione diſpoſitæ, quæcumque corpuſcula ſunt extenſa, ſolida, multis ex partibus à ſe invicèm ſeparabilibus & extrà ſe poſitis compoſita, variiſque figuris donata. Atqui cogitationes eſſe non poſſunt ejus generis entium modificationes, ſed rei omninò ſimplicis, inextenſæ, partiumque ſubſtantialium penitùs expertis, quæ hominis animus appellatur. Nàm

modificatio omninò simplex, atque indivisibilis, non potest nisi in re omninò simplici, partiumque quarumlibet substantialium experte reperiri. Atqui cogitatio, ex. gr. judicium, seu assensus propositioni datus, vel dissensus, est modificatio omninò simplex, inextensa, indivisibilis. Tùm quià assensus vel totus ponitur, vel nullatenùs ponitur; tùm quià ne cogitari quidem potest medietas vel quadrans assensus; tùm quià nemo reperiri potest adeò ineptus & mente captus, ut assensum sibi fingat pedis vel pollicis longum, vel latum, vel profundum, eumdemque vel triangularem, vel quadratum. Ergo &c.

Secundum argumentum. Idem homo simùl afficitur variis sensationibus coloris, soni, odoris, tactûs, saporis, variis ideis, desideriis, cæterisque affectionibus; singulas accuratè secernit, alias cum aliis comparat, de earum differentiâ certò judicat. Atqui non posset hæc institui comparatio, nisi variæ illæ affectiones in re unâ, non multiplici, inextensâ, partiumque separabilium experte inessent. Vel enìm id omninò necessarium est, vel institui posset prædicta comparatio, etiamsi singulæ variæque affectiones in variis portionibus cujusdam corporis reperirentur. Atqui si variæ affectiones in variis cujus-

dam corporis portionibus reperirentur, institui non posset prædicta comparatio. Cùm enim una materiæ portio esset extrà aliam posita, nec alterius portionis affectionem ullatenùs sentiret, suam affectionem cum alterius portionis modificatione non posset comparare magìs, quàm animus Pauli à nativitate cœci posset suam soni sensationem conferre cum coloris sensatione quam animus Pauli à nativitate surdi experiretur. Ergo &c.

Et verò qui tot varias sensationes cæterasque affectiones simùl experitur, sensu intimo sibi conscius est eamdem esse rem quæ eas sentiat, simùlque suam existentiam. Atqui si variæ sensationes cæteræque affectiones in variis materiæ portionibus inessent, nemo sibi conscius esset eamdem esse rem quæ has omnes affectiones diversas sentiat, sed multas esse res, totidemque quòt essent diversæ affectiones; ut perspicuum est. Ergo &c.

Idem confici potest ratiocinium ex comparatione intèr ideas subjecti & attributi instituendâ, cùm de propositione fertur judicium, vel etiàm ex multarum idearum collatione: quod sic adornat Baylus. Si substantia in me cogitans non sit omninò simplex, partiumque separabilium expers, non alitèr est una, quàm globus in quo quatuor mundi partes ex-

hibentur descriptæ. Quod profectò absurdum est. Nàm supponantur variæ globi portiones sentire posse quas in se recipiunt variorum terræ regnorum descriptiones. In hâc quamvis ridiculâ suppositione nulla esset globi pars, quæ dicere posset totum novi Persarum regnum, vel totam Galliam, imò nec unum flumen. Ergo si substantia cogitans non aliâ ratione esset una, atque globus prædictus, non posset simùl variorum objectorum cognitiones sentire, easque intèr se comparare. Quod intimo sensui cùm adversetur; hinc animum nostrum simplicem esse, partiumque expertem perspicuum est omnibusque obvium. *L'on peut dire*, inquit Baylus, tom. I. Operum, p. 110, *que cette preuve est une démonstration aussi assurée que celle des Géométres; & si tout le monde n'en sent pas l'évidence, c'est à cause que l'on n'a pû, ou que l'on n'a point voulu s'élever au-delà des notions d'une imagination grossiere.*

Tertium argumentum. Si cogitatio esset atomi vel cujuslibet corporis modificatio, vel tota in singulis atomi partibus existeret, vel eadem cogitatio in omnes partes diffunderetur, partìmque distribueretur. Uutrumque absurdum est. Primum quidèm. Etenìm si res ità se haberet, cùm percipio, vel judico; quot es-

ſent in re cogitante partes, totiès ideam vel judicium ſentirem repetitum, ut quot ſunt in vitro multangulo facies, tot exhibentur imagines. Quæ idearum vel cogitationum quarumlibet multiplicatio conſcientiæ adverſatur. Secundum non minùs abſurdum eſt. Tùm quià cogitatio ſimplex eſt & indiviſibilis, quæ proindè atomi vel corpuſculi partibus coextendi non poteſt. Tùm quià ſingulæ partes varias ideæ ſeu repræſentationis partes ſentirent, nulla pars totam ideam & repræſentationem, Ideòque de toto ideæ objecto judicium ferri non poſſet. Ergo &c.

Quartum argumentum, ex voluntate liberâ. Conſcientiâ metaphyſicè certi ſumus in animo noſtro vim & facultatem ineſſe, quâ animus amores ſuos, odia, volitiones ipſe efficit & quidèm pro nutu, quâ in ſe ipſe agit, non in objecta extrà ſe poſita. Id autèm animum demonſtrat immaterialem, & à quolibet corpore eſſentialitèr diverſum. Nàm 1°. corpus iners eſt & paſſivum; motum ſuum non efficit, non ſibi dat, æternumque quieſceret, niſi cauſæ extrinſecæ virtute moveretur. 2°. Corpus etiàm accepto motu, in ſeipſum non agit, sed in corpora ipſi extrinſeca. 3°. Sæpè animus ipſe amoris ſui objectum eſt. At certè

corpus versùs se ipsum non movetur. 4°. Animi affectiones subitò mutantur in contrarias. Atqui affectiones mechanicæ, motusque non tantâ celeritate desinunt, & in contrarias vel diversas mutantur, cùm motus sit essentialitèr successivus. 5°. Animus potest pro nutu amores suos, volitiones, cæterasque affectiones sibi dare, suspendere, sistere, aliò deflectere. Atqui experientiâ teste non potest corpus quodlibet varias affectiones mechanicas, variosque motus sibi dare, suspendere, resumere, sistere, aliò deflectere. Ergo &c.

Et verò si Lucretium explicantem audiamus, libertas aliud nihil est, nisi declinatio motûs à priori directione; voluntas verò ambulandi, ex. gr. efformatur ex simulacris meandi, quæ animum pulsant.

Nunc qui fiat uti passus proferre queamus,
Cùm volumus, varièque datum sit membra movere.

. . . .

Dico animo nostro primùm simulacra meandi
Accidere, atque animum pulsare, ut diximus antè.
Indè voluntas fit.

Ità Lucr. de rer. nat. L. 4. v. 883.

Quæ quidèm explicationes adeò ridiculæ sunt, ut nihil absurdum magìs esse possit. Quænam enim similitudo intèr

declinationem motûs à priori directione, & vim seu facultatem quâ potest animus pro arbitrio amores, odia, cæterasque affectiones efficere, suspendere, mutare, sistere. Maximè cùm hæc declinatio motûs tàm necessariò oriatur à causâ externâ, tàmque leges necessarias quàm ipse motus sequatur. Quid etiàm ineptum magìs, quàm fingere simulacra ab objectis in animum emissa, ex quibus efformetur voluntas? Esset ne tanta animi vis simulacrum, an pars, an collectio simulacrorum? Quæro etiàm quâ ratione in homine à nativitate cœco nasceretur ambulandi voluntas; cùm ejus generis simulacra recipere non possit. Verùm his in næniis moror diutiùs.

Quintum argumentum. Omnes atomi, vel cujuslibet corpusculi modificationes ad quietem, diversi generis figuras, variosque motus revocantur. Atqui ab his modificationibus essentialitèr discrepant cogitationes. Nàm de rerum naturis judicare non possumus nisi ex rerum earumdem ideis; quod principium si tollatur, scientia nulla superest. Ideò namque certus sum triangulum à circulo diversum esse; quià aliud exhibet idea trianguli, aliud idea circuli. Atqui prædictarum modificationum ideæ omninò diversæ sunt à cogitationum ideis.

Finge si possis ideam connexionis, possibilitatis, impossibilitatis, futuritionis, præteritionis, virtutis & vitii; finge assensum vel dissensum, amorem sui ipsius, vel Dei, vel virtutis & veritatis, sensum lætitiæ vel tristitiæ, cæterasque cogitationes; finge si possis eas esse quietem, vel motum quemlibet, vel triangulum, quadratum, cæterasque figuras. Hæc enìm tàm diversa sunt, ut intèr illa nihil similè concipiatur, ut ideæ prædictarum materiæ modificationum, nedùm inserviant ad efformandas cogitationum ideas, è contrà noceant, easque magìs obscurent. Quod adeò verum est, ut optimè explicetur quid sint quies, figura triangularis, quadrata, &c. quid sit motus, sive rectus, sive angularis & curvilineus; quid verò sint variæ cogitationes non explicetur. Idque ex eo oritur, ut Lockio placet, quod animi affectiones sint omninò simplices. Ergo &c.

Idem argumentum per partes confirmatur.

Itaquè probatur prima pars. Cogitationes non in quiete consistunt. Quod fatentur Athei Materialistæ, & perspicuum est. Tùm quià correspondentia eidem loco permanens ab ideis, judiciis, amoribus omninò discrepat. Tùm quià multæ cogitationes sunt animi actiones,

quies verò actioni opponitur.

Probatur secunda pars. Cogitationes non sunt figuræ. Nàm 1°. atomus vel corpus quodlibet figuras suas passivè recipit; nullam sibi dat, vel efficit. Animus verò multas cogitationes sibi dat & efficit. Ergo cogitatio non est corporis cujuslibet figura. 2°. Dùm animus cogitationes sentit, easque à se invicèm accuratè secernit, nullam figuram sentit, nulla latera, nullos angulos. Ergo cogitationes non sunt figuræ.

Probatur tertia pars. Cogitationes non sunt corporis motus.

Nàm 1°. animus multas cogitationes efficit; atomus autèm vel corpus quodcumque sempèr motum suum passivè recipit. Ergo animus cogitans non est atomus in motu posita. 2°. Animus suas cogitationes sentit, accuratè secernit, suprà se reflectit: intereà varios motus non sentit, alios ab aliis non secernit, nec potest atomus suprà se ipsam reflecti. Ergo &c.

3°. Animus in multis cogitationibus liber est. Atomus verò ad habendum motum libera non est, dùmque movetur, leges necessarias sequi cogitur.

4°. Motus est correspondentia variis locis successiva. Quis autèm dicere ausus sit animum per ideam veritatis, per judi-

cium, amorem, odium, lætitiæ vel tristitiæ sensum variis successivè locis correspondere.

5°. Corpus ingens ut lapis variis motibus donari potest, non secùs ac atomus vel corpusculum. Ergo si diversæ cogitationes essent dumtaxàt varii motus, lapis ingens variis posset cogitationibus affici. Quod absurdum ipsis Epicureis esse videtur.

6°. Animus suis cogitationibus res insensibiles attingit, sicut & futuras, præteritas, à nobis remotissimas, possibiles, non secùs ac impossibiles; quarum nullas potest atomus motu suo attingere.

7°. Animus vel unico momento terram, sidera, orbem universum cogitatione peragrat, mundosque possibiles; tanta autèm esse non potest atomi motæ celeritas.

8°. Motus omnes sunt ex se similes, cùm ex se recti sint, eorùmque diversitates ab extrinseco nascantur, atque in præcedentis directionis mutatione consistant. Atqui certè omnes animi cogitationes non sunt intèr se similes, nec eorum diversitates oriuntur ab aliquo extrinseco, nec in præcedentis directionis mutatione consistunt, ut perspicuum est. Ergo &c.

Sextum argumentum. Non solùm cogi-

tatio non consistit in motu, sed neque motu effici potest. Quod quidèm Lockio tàm repugnare videtur, quàm repugnat nihilum esse causam materiæ efficientem. Nàm, inquit, fatentibus Epicureis, motus in corporibus maximis nunquàm potest cogitationem efficere. Atqui atomi, partesque materiæ quantumvis minutæ supponantur, eâdem præcisè ratione in sese invicèm agunt, sese impellunt, sibi resistunt, ac ingentia corpora. Ergo &c.

Et verò etiamsi supponeretur corpus motum esse causam efficientem motûs corpori percusso communicati, quod falsum esse demonstratur, tamèn corpus sive magnum, sive minimum nunquàm posset motu suo cogitationem in alio corpore efficere. Nàm corpus quod motu suo in alia quælibet corpora supponitur agere, aliud nihil præstat nisi motum, nisi partium separationem, vel compressionem, varium situm, variam dispositionem. Corpus divide, partes ex divisione nascentes per totam æternitatem seca, exurgent partes semper minores, prætereàque nihil. Partes illas mutatione sitûs, prout libuerit, compone. Transfer partem *A* nunc ad orientem, nunc ad occidentem, nunc ad septentrionem, nunc ad meridiem, muta partium distantiam; quid efficies? Aliud nihil nisi diversas partium

directiones, diversas proximitatis vel distantiæ relationes. Muta figuram, configurationem; semper figuram habebis, aliudque nihil nisi diversam partium ad sese invicèm distantiæ vel contiguitatis relationem. Partes illas in quoscumque sensus volueris agites, directiones mutes, velocitatem augeas, vel minuas; motus nascetur rectus, vel angularis, acceleratus vel retardatus. Quæ quidèm ipsi sensus de corporibus sensibilibus in sese incurrentibus testantur. Atqui variæ cogitationes ab his omnibus plurimùm differunt. Ergo &c.

Argumentis jàm expositis evidentèr efficitur cogitationes esse non posse materiæ modificationes. Ex quibus perspicuum est, luceque meridianâ clariùs rem in nobis cogitantem non esse corpus, immaterialem esse atque incorpoream, simplicem, partiumque expertem. Objectiones proponi solitas, quæ profectò leves sunt, in secundâ Pneumatologiæ parte diluemus; ubi de animo disputaturi sumus.

De Spinosæ systemate.

Benedictus Spinosa natione Batavus, religione primùm Judæus, deindè religiones omnes, Judaïcam maximè & Christianam impugnavit, tandèm in Ethicâ suâ

religionis naturalis principia, ipsumque Deum retento tamèn nomine sustulit. Ut autèm fucum faceret indoctis, levibusque hominibus qui novarum opinionum & à vulgi intelligentiâ disjunctarum admiratione facilè capiuntur; eorum credulitati mathematicè insidiatus est adhibitâ methodo geometricâ, quæ sinceram fraudisque inimicam ad quam nata est, evidentiam annuntiat, quam tamèn ipse pervertit omninò & inquinavit; cum eâ methodo abusus fuerit, ut portentosam doctrinam æquivocationibus involveret, sæpè mutatâ vocum significatione receptâ. Itaque in primâ & secundâ parte Ethicæ primùm definitiones tradit, deindè axiomata, ex quibus propositiones multas deducit, quæ totum illud systema complectuntur.

DEFINITIONES.

Prima. Per causam sui intelligo id, cujus essentia involuit existentiam, sive id cujus natura non potest concipi non existens.

Secunda. Ea res dicitur in suo genere finita, quæ aliâ ejusdem naturæ terminari potest; ex. gr. corpus dicitur finitum, quià aliud sempèr majus concipimus. Sic cogitatio aliâ cogitatione terminatur: at corpus non terminatur cogitatione, nec cogitatio corpore.

Tertia. Per substantiam intelligo id, quod in se est, & per se concipitur; hoc est, cujus conceptus non indiget conceptu alterius à quo formari debeat.

Quarta. Per attributum intelligo id, quod intellectus de substantiâ percipit, tanquàm ejusdem essentiam constituens.

Quinta. Per modum intelligo substantiæ affectiones, sive id quod in alio est, per quod etiàm concipitur.

Sexta. Per Deum intelligo ens absolutè infinitum, hoc est substantiam constantem infinitis attributis, quorum unumquodque æternam, infinitamque substantiam exprimit.

Explico. Dico absolutè infinitum, non autèm in suo genere; quidquid enìm in suo genere tantùm infinitum est, infinita de eo attributa negare possumus. Quod autèm absolutè infinitum est, ad ejus essentiam pertinet, quidquid essentiam exprimit, & negationem nullam involvit. Ex quo contendit Spinosa Deum esse corporum omnium & animorum collectionem.

Septima. Ea res libera dicetur, quæ ex solâ suæ naturæ necessitate existit, & à se solâ determinatur. Necessaria autèm, seu potiùs coacta, quæ ab alio determinatur ad existendum & operandum certâ & determinatâ ratione.

AXIOMATA.

Primum. Omnia quæ ſunt, vel in ſe ſunt, vel in alio ſunt.

Secundum. Id quod per aliud non poteſt concipi, per ſe ipſum concipi debet.

Tertium. Ex datâ causâ determinatâ neceſſariò ſequitur effectus; & contrà, ſi nulla detur determinata cauſa, impoſſibile eſt, ut effectus ſequatur.

Quartum. Effectûs cognitio à cognitione cauſæ dependet, & eamdem involvit.

Quintum. Quæ nihil commune intèr ſe invicèm habent, etiàm per ſe invicèm intelligi non poſſunt; ſive conceptus unius alterius conceptum non involvit.

PROPOSITIONES.

Prima. Subſtantia prior eſt naturâ ſuis affectionibus.

Secunda. Duæ ſubſtantiæ diverſa habentes attributa, nihil intèr ſe commune habent.

Tertia. Quæ res nihil commune intèr ſe habent, earum una alterius cauſa eſſe non poteſt.

Demonſtratio. Si nihil commune cum ſe invicèm habent, ergo per axioma quintum, nec per ſe invicèm intelligi poſſunt; adeòque per axioma quartum una

alterius causa esse non potest.

Quarta. Duæ aut plures res distinctæ, vel intèr se distinguuntur ex diversitate attributorum, vel ex diversitate affectionum.

Demonstratio. Extrà intellectum nihil datur prætèr substantias, earumdemque affectiones; nihil ergò extrà intellectum datur per quod plures res distingui possunt prætèr substantias, sive quod idem est per definitionem quartam, earum attributa, earumque affectiones.

Quinta. In rerum naturâ non possunt dari duæ aut plures substantiæ ejusdem naturæ, sive attributi.

Demonstratio. Si darentur plures substantiæ distinctæ, vel distinguerentur ex diversitate attributorum, vel ex diversitate affectionum, per propositionem quartam. Non ex diversitate attributorum; quià supponuntur ejusdem esse naturæ sive attributi. At si ex diversitate affectionum tantùm distinguuntur; cùm substantia sit prior suis affectionibus per propositionem primam; depositis ergo affectionibus, & in se considerata, non poterit concipi ab aliâ distingui.

Sexta. Una substantia non potest produci ab aliâ substantiâ.

Demonstratio. In rerum naturâ non possunt dari duæ substantiæ ejusdem at-

tributi, hoc est per propositionem secundam, quæ aliquid intèr se commune habent. Adeòque per propositionem tertiam una alterius causa esse nequit, sive una ab aliâ produci nequit.

Septima. Ad naturam substantiæ pertinet existere.

Demonstratio. Substantia non potest produci ab aliâ. Ergo &c.

Octava. Omnis substantia est necessariò infinita.

Demonstratio. Erit enim ipsius natura vel finita, vel infinita. At non finita: nàm per definitionem secundam debet terminari ab aliâ ejusdem naturæ, quæ etiàm necessariò deberet existere, per propositionem septimam; adeòque darentur duæ substantiæ ejusdem attributi; quod est absurdum per propositionem quintam. Existet ergo infinita.

His addit 1°. substantiam esse indivisibilem: quià partes in quas divideretur, vel naturam substantiæ retinerent, vel non: si primum, ergo plures darentur substantiæ; quod repugnat. Si secundum, ergo substantia esse desineret, cùm tamèn ex naturâ suâ existat.

2°. Hanc unicam substantiam esse Deum infinitis constantem attributis, quorum duo quidèm assignat extensionem & cogitationem, cætera quæ sint, nullibi explicat.

3°. In rerum naturâ nihil dari contingens, sed omnia ex necessitate divinæ naturæ determinata esse ad certo modo existendum & operandum.

Hæc ex triginta sex propositionibus quibus integrum suum systema complectitur, retulisse sufficiat.

Ad hæc capita revocari potest Spinosæ systema. 1°. Unicam existere substantiam. 2°. Ejus substantiæ duo attributa esse extensionem omnem & cogitationem; dicit etiàm corpora omnia esse modos substantiæ unicæ quatenùs extensæ, animos verò esse modos ejusdem substantiæ quatenùs cogitantis. 3°. Deum appellat substantiam illam unicam, necessariò existentem, eumque asserit absolutè infinitum, quià nullam involvit negationem, sed omnia entia animos & corpora, eorumque affectiones complectitur. 4°. Omnia ineluctabili necessitate contingere.

Ex quibus perspicuum est unum id discriminis esse intèr Spinosæ sententiam & Stratonicorum aut Academicorum systema, quod Spinosæ placeat unicam substantiam appellare mundum universum, multisque æquivocationibus, & sæpè mutatis vocum significationibus mentem suam occultare nitatur. Undenàm autèm fingere sibi potuerit unicam existere sub-

ſtantiam? id in mentem paſtam chimæris non aliundè venire potuiſſe videtur, quàm quod notionem abſtractam ſubſtantiæ generatìm ſpectatæ à ſtatu ideali & abſtractionis ad ſtatum realem tranſtulerit: Ut ut ſit, tàm ineptum ſyſtema judice Baylo cumulus eſt abſurditatum omnium quæ dici poſſunt vel cogitari.

PROPOSITIO I.

Abſurdo abſurdius eſt Spinoſæ ſyſtema.

Demonſtratur. Ad capita quatuor jàm expoſita revocari poteſt integrum Spinoſæ ſyſtema. Atqui abſurda ſunt hæc quatuor capita.

1°. Abſurda loquitur, cùm unicam exiſtere ſubſtantiam contendit. Nuſquàm enìm Spinoſa falſam oſtendit rei ſubſtantialis definitionem, quâ dicunt Philoſophi omnes rem ſubſtantialem eam eſſe quæ exiſtit independentèr à ſubjecto cui inhæreat, per oppoſitionem ad modum: atqui multa ſunt quæ exiſtunt independentèr à ſubjecto cui inhæreant; ſic terra, ſol, planetæ, ſtellæ, &c. Ergo &c.

2°. Sint globus *A* & cubus *B* 1000 leucis à ſe invicèm diſtantes, globus versùs ortum moveatur, cubus versùs occaſum. Certè partes extenſionis ex quibus componuntur, reipsà multæ ſunt & diſtinguuntur; alioquìn res eadem poſſet à

ſeipsâ 1000 leucis diſtare, ſimùlque versùs ortum & occaſum transferri, ſphærica eſſe poſſet ſimulque cubica: quod eſt contradictorium. Jàm verò vel illæ partes extenſionis ſunt totidèm res ſubſtantiales, vel ſunt modi; id eſt vel in ſe ſunt, vel in alio. Si primum, ergo cùm reipsà multæ ſint prædictæ extenſiones, multæ reipsà exiſtunt ſubſtantiæ. Si ſint modi, ergo illorum ſubjecta multa ſunt, repugnat enìm unicum & idem ſubjectum 1000 leucis à ſe ipſo diſtare, versùs ortum ſimul & occaſum moveri, ſimulque ſphæricum & cubicum. Ergo reipsà multa ſunt ſubjecta modorum ſeu multæ ſubſtantiæ.

3°. Ideæ, ſenſationes, cæteræque animi cogitationes, cùm ſint modificationes exiſtunt in ſubjecto ſeu re ſubſtantiali. Ideòque tot ſunt reipsà ſubſtantiæ, quot ſunt ſubjecta cogitationum à ſe invicèm multis leucis ſeparata. Atqui reipsà multa ſunt ſubjecta cogitationum à ſe invicèm multis leucis ſeparata, ſcilicèt multi homines; niſi dicatur unicum & idem ſubjectum indiviſibile in locis tàm diſtantibus exiſtere & cogitare. Quo nihil abſurdum magìs excogitari poteſt. Ergo &c.

Tandèm ex ipſo Spinoſa infinita dantur attributa, quæ per ſe ſunt, per ſe concipiuntur,

piuntur, ipsamque habent substantiæ essentiam. Atqui contradictorium est ea quæ substantiæ essentiam habent, non esse totidèm substantias. Ergo in Spinosæ principiis innumeræ substantiæ existunt, vel pugnantia loquitur Spinosa.

2°. Absurdum est extensionem & cogitationem esse attributa aut modificationes unius ejusdemque substantiæ. Nàm repugnat unicam eamdemque substantiam simùl esse divisibilem & indivisibilem, compositam & simplicem, alioquìn idem simùl esset & non esset: res tamèn ità se haberet, si extensio præsertìm orbis universi, & cogitatio essent attributa vel modificationes unius ejusdemque substantiæ. Nàm cùm extensio multas reipsà partes habeat non modò extrà se invicèm positas, sed etiàm quasdam ab aliis valdè distantes, reverà composita est & divisibilis: & proindè subjectum quod debet sub omnibus extensionis partibus reperiri, ipsum compositum esset & divisibile. Cogitatio verò ità simplex est, ut ne cogitari quidèm possint assensûs vel dissensûs medietates, quadrantia, &c. Ergo illius subjectum debet esse omninò simplex & indivisibile. Quaproptèr eadem substantia idem unicum subjectum esset divisibile simùl & indivisibile, simplex omninò & compositum.

Et verò ideò, secundùm Spinosam, substantia corporea non habet partes realitèr distinctas in quas dividi possit; quià omnes illius partes intèr se connexæ sunt, nec dari potest vacuum. Atqui etiàmsi dari non posset vacuum, quod negant omnes nunc Philosophi, non minùs sol & terra sunt à se invicèm realitèr distincta, non minùs per interjectum æthera separatam habent existentiam, & ab invicèm independentem, quàm per vacuum interpositum. Ex omnibus autèm ea corpora distincta sunt & separata, intèr quæ corpus alterum interjacere potest aut interponitur. Ergo &c.

3°. Ab omnium hominum sensibus nihil abhorret magìs, quàm Deum appellare unicam substantiam quæ corpora omnia atque animos, eorumque modificationes omnes complectitur. Nàm ex ipso Spinosa Deus est infinitè perfectus. Atqui talis non est substantia quæ orbem universum complectitur. 1°. Quià homines & corpora sunt entia contingentia, summmè dependentia, ut demonstravimus. 2°. Quià illius substantiæ, intelligentia & potentia, non essent aliæ, quàm quæ in hominibus reperiuntur: quæ certè admodùm limitatæ sunt. 3°. Quià non modò substantia ejusmodi nullam haberet perfectionem infinitam, sed corpo-

rum omnium & animorum humanorum defectibus, vitiis & imperfectionibus scateret, eorumque mutationibus subjaceret. Deus ille simùl esset Theista, & Atheus, crudelis, impurus, latro, doleret simùl & lætaretur. Ergo &c.

Et verò Deum summè beatum cogitaverunt, vel illi veteres Philosophi qui Deo multas perfectiones denegabant. Deus autèm à Spinosâ confictus miserrimus existeret. Etenìm miserias omnes, dolores & cruciatus sentiret, quos homines experiuntur. Nàm cùm prætèr Deum istiusmodi substantia altera non existat, in Deo reciperentur hominum dolores, cruciatus, sensationes omnes ingratæ, Deumque afficerent. Ergo Deus à Spinosâ excogitatus infelicissimus existeret.

Tandèm absurdum est nihil esse contingens, & omnia fatali necessitate contingere; quod patet tùm ex demonstrationibus de existentiâ Dei, tùm intimo sensu quo quisque sibi conscius est se libertate maximâ pollere ad amandum, vel non amandum &c. Ergo &c.

PROPOSITIO II.

Absurdum nihil magìs quàm Spinosæ systema, si definitiones, axiomata, & propositiones spectentur.

Per tempus non licet singula percur-

tere; præcipua tantùm expendemus.

DEFINITIONES.

Prima. *Per causam sui*, inquit, *illud intelligo cujus essentia involvit existentiam, sive id, cujus natura non potest concipi non existens.*

Causa alicujus rei, rem eamdem efficit. Atqui natura necessariò existens, non se ipsa efficit. Ergo absurda est hæc definitio, quâ in posterum abutitur; cùm dicit propositione vigesimâ quintâ Deum esse causam existentiæ & essentiæ rerum. Eodem enim sensu, quod ipse fatetur in sequenti scholio, Deus est rerum aliarum causa, quo sui ipsius. Verùm Deus proprio sensu dici non potest sui ipsius causa. Ergo nec aliarum rerum. Nulla igitur exsistit causa, nullus effectus propriè dictus.

Secunda definitio. *Ea res dicitur in suo genere finita, quæ aliâ ejusdem naturæ terminari potest.*

Itaque si duo tantùm existerent & exsistere possent extensionis pedes, extensio illa esset infinita; quamvis ex omni parte limitata. Hâc definitione abutitur, ut probet substantiam esse infinitam. Quià, inquit, cùm non possint duæ aut plures substantiæ existere; substantia non potest ab aliâ ejusdem naturæ terminari. Quod non minùs absurdum est, quàm si dice-

retur unitatem esse numerum infinitum.

Tertia definitio. *Per substantiam id intelligo, quod in se est & per se concipitur; hoc est cujus conceptûs non indiget conceptu alterius à quo formari debeat.*

Quod summam continet præcipuumque caput Spinosiani systematis, cùm illud sit, *unica existit substantia;* quid substantiæ nomine significatum velit, id apertis verbis explicare omninò necesse erat. Nihil tamèn magìs obscurum, nihil æquivocum magìs, quàm allata definitio. Vel enìm intelligit substantiam esse ens necessariò existens, quod causam efficientem habere non possit, vel substantiam in se ità esse & per se concipi, ut non indigeat subjecto in quo recipiatur, & quidèm per oppositionem ad modum, qui in alio tanquàm subjecto existit.

Si primum, definitio falsa est, & ab omnibus Philosophis rejicitur; hoc tamèn sensu ab authore assumitur. Quod est fraus omnium turpissima. Si enìm liceat certum supponere, quod est controversiæ præcipuum caput; nihil erit tàm apertum, tàmque perspicuum, quod falsum non probetur.

Si secundum; equidèm sic vulgò definitur substantia in abstracto, & in genere, ut aiunt, spectata. Verùm quid illud Spinosam juvare potest; cùm luce meridianâ

clariùs sit res multas existere, quæ non indigeant subjecto, in quo recipiantur & inhæreant, ut sol, ut planetæ, ut homines &c. Addi possunt quæ in Ontologiâ dicta sunt, ubi de substantiâ disputatum est.

Quarta definitio. *Per attributum id intelligo, quod intellectus de substantiâ percipit tanquàm ejusdem essentiam constituens.*

Quæ definitio, si cum aliis dictis conferatur, ubique pugnantia loquitur Spinosa. Nam 1°. ex illâ definitione, attributum est ipsa substantia. Contendit autèm unicam esse substantiam; & tamèn infinita admittit attributa, quorum unumquodque substantiæ essentiam exprimat & constituat. 2°. Extrà intellectum, inquit, nihil datur præter substantiam & affectiones, id est, modos: Quo significatur affectiones & modos esse aliquid reale pratèr substantiam. Si sint aliquid reale pratèr substantiam, est aliquod eorum attributum. Ergo omne attributum reale essentiam substantiæ non constituit.

Sexta definitio. *Per Deum intelligo ens absolutè infinitum;* quo sensu intelligit collectionem omnium rerum, omniumque modorum. A quo abhorrent omnium hominum sensus.

Septima definitio. *Ea res libera dicetur*

quæ ex solâ suæ naturæ necessitate existit, & à se solâ determinatur.

Ridicula, si quæ unquàm fuit, libertatis notio, quâ positâ atomi Epicuri liberè moverentur. Non Philosophi solùm, sed homines omnes eum dicunt liberum, qui actionum suarum dominus est, ideòque potest pro nutu agere vel non agere.

AXIOMATA.

Quartum axioma. *Effectûs cognitio à cognitione causæ dependet, & eam involvit.* Ambiguum est illud axioma. Nàm effectus considerari potest, vel prout est in se, seu ut aiunt materialitèr; vel prout à causâ producitur, seu ut aiunt formalitèr quatenùs est effectus. Si priori sensu intelligatur axioma, omninò falsum est. Quot enìm sunt effectus in rerum naturâ quos cognoscimus de eorum causâ non cogitantes, eamque omninò ignorantes. In exemplum afferri possunt magnetis & electri phœnomena. Nonnè etiàm Petrum concipio independentèr à conceptu Pauli cujus est reipsâ filius. Nonnè tabellam pictam considerare possum, quìn de Pictore cogitem. Is autèm est Spinosæ sensus; ex quo probare conatur unam substantiam nonposse ab alterâ effici. Quod quàm absurdum sit, nemo non videt.

Si posteriori sensu intelligatur, verum est axioma; quià effectus quatenùs effectus & causa sunt duo correlata. Sic Petrum non concipio ut filium, sine conceptu patris alicujus. Illud autèm hoc sensu adhibere non potest Spinosa, ut probet substantiam non posse ab alterâ effici.

Quintum axioma. *Quæ nihil commune intèr se invicèm habent, etiàm per se invicèm intelligi non possunt, sive conceptus unius alterius conceptum non involvit.*

Ambiguum est prætensum axioma. Quæ attributa communia seu similia non habent, nec relationem communem causæ ad effectum, & effectûs ad causam, ea quidèm non possunt per se invicèm intelligi. Quorum autèm natura omninò diversa est, hæc tamèn possunt per se invicèm intelligi, si communem habeant relationem effectûs ad causam. Sic horologii & hominis naturæ omninò diversæ sunt, attamèn artificis industria ex horologio facilè intelligitur.

Cætera prætermitto axiomata, quorum æquivocatio ex duobus jàm relatis facilè deprehenditur.

PROPOSITIONES.

Secunda propositio. *Duæ substantiæ diversa habentes attributa, nihil intèr se commune habent.*

Falsa est hæc propositio. Duæ enim substantiæ diversam habentes naturam, possunt habere relationem communem effectûs & causæ, ut ex modò dictis perspicuum est. Eâdem de causâ falsa est tertia propositio.

Quarta propositio. *Duæ aut plures res distinctæ, vel intèr se distinguuntur ex diversitate attributorum, vel ex diversitate affectionum.*

Distinctio cum diversitate ridiculè confunditur. Ex omnibus enìm Philosophis duo nummi aurei mille leucis distantes reipsà distinguuntur, seu reipsà sunt multi, quamvis perfectè similes supponantur.

Quinta propositio. *In rerum naturâ non possunt dari duæ aut plures substantiæ ejusdem attributi. Quià, inquit, si distinguerentur vel ex diversitate attributorum, vel ex diversitate affectionum. Neutrum dici potest. Ergo &c.*

Cùm hæc propositio quæ Philosophorum omnium sententiæ adversatur, præcipuum sit caput Spinosiani systematis; ostendendùm erat evidentissimâ demonstratione Philosophos omnes erravisse. Quod nedùm præstet Spinosa; rationem affert ridiculam, cujus falsitas ipsis infantibus perspecta est Quis enìm tàm excors esse potest, qui non videat nummos aureos, figuras, aquæ guttas à se invicèm

distantes esse reipsà duas, ideòque reipsà distingui, quamvìs sint perfectè similes. Ergo & dari possunt substantiæ duæ aut plures similis attributi, quæ proindè neque ex diversitate attributorum, neque x diversitate affectionum distinguantur.

2°. Vel substantia universìm sumpta est genus univocum, quod attributorum differentialium additione varias constituat species, ut opinantur multi Philosophi; vel attributa differentialia per seipsa sunt substantialia, id est in se existunt, ità ut substantia generatìm spectata sit mera denominatio rebus etiàm diversis communis, quod in Ontologiâ demonstratum est. Si primum, ergo ipsa diversitas attributorum specificorum saltèm supponit multas esse substantias reipsà distinctas. Si secundum, ergo ex ipsâ diversitate attributorum differentialium substantiæ distinguuntur.

3°. Affectiones quædam ità diversæ sunt, ut in eodem subjecto simùl esse non possint. Sic eadem numero extensionis portio sphærica simùl esse non potest & cubica. Ergo etiamsi substantia prior esset suis affectionibus, tamèn affectionum quarumdam diversitas substantiarum multitudinem demonstraret.

Sexta propositio. *Una substantia non potest produci ab aliâ substantiâ.*

Hanc propositionem Spinosa deducit ex præcedente, quæ cùm evidentèr absurda sit, ampliorem refutationem non postulat. Idem dicendum de cæteris propositionibus, quas ex præcedentibus concludit Spinosa, vel definitionibus & axiomatibus æquivocis, falsis, & absurdis adstruit. Quapropter totum illud systema, judice Baylo, cumulus est absurditatum omnium quæ dici possunt, vel cogitari.

Obj. 1°. Unica existit substantia. Nàm si multæ existerent, vel eadem haberent attributa, vel diversa. Si primum, ergo unica existit substantia. Res enim quæ iisdem constant attributis sunt unum & idem. Si secundum, hinc etiàm sequitur unicam existere substantiam. Etenim diversa attributa diversas naturas constituunt. Ergo si unum ex illis naturam substantiæ constituit, cætera attributa quæ diversa supponuntur, debent essentiam à substantiâ diversam constituere. Proindèque unica existit substantia ejusdem attributi, id est attributi necessarii ad essentiam substantiæ.

1°. N. ans. Quamvis enim substantiæ nec eadem nec diversa haberent attributa, multæ tamen existerent, si earum attributa similia forent. Nàmque nummi aurei perfectè similes, & à se invicèm separati, profectò multi sunt. Atqui nec

eadem, nec diversa habent attributa; sed similia. Ergo & substantiæ &c.

2°. Possent etiàm habere attributa diversa, quod patet ex refutatione quintæ propositionis.

Dices. Extensio & cogitatio possunt esse modificationes unius ejusdemque substantiæ: atqui hæc est summa totius systematis Spinosæ. Ergo &c.

Nego majorem proptèr rationes allatas.

Instabis. Ut res ità se habeat, duo sufficiunt nempè quod extensio & cogitatio possint esse modificationes similis substantiæ. 2°. Si semèl concedatur eas esse similis substantiæ modificationes, ex eo sequatur eas etiàm esse posse unius ejusdemque substantiæ affectiones. Atqui 1°. extensio & cogitatio possunt esse similis substantiæ modificationes. Nàm substantia est genus univocum respectu spiritûs & materiæ. Si sit genus, attributa spiritûs & materiæ differentialia seu specifica, sunt quædam positiva naturæ substantiæ in se spectatæ superaddita; si, quædam sint positiva substantiæ in se spectatæ superaddita, sunt accidentia seu modi, cùm intèr substantiam & modum nihil reperiatur medium. Proindèque attributa spiritûs & materiæ differentialia seu extensio & cogitatio sunt modificationes; ve-

rùm ſubſtantia non modò eſt genus, ſed etiàm genus univocum, ideòque ſimile. Ergo extenſio & cogitatio ſunt modificationes ſimilis ſubſtantiæ.

2°. Hoc poſito, extenſio & cogitatio poſſunt eſſe modificationes unius ejuſdemque ſubſtantiæ. Tùm quià id non negatur, niſi ex eo quod ſubjecta eſſentialitèr diverſa & oppoſita poſtulant, quod ex jàm dictis falſum eſt. Tùm quià ſubjectum ſimile poteſt in locum alterius ſimilis ſubſtitui. Ergo ſi extenſio & cogitatio poſſint eſſe ſimilis ſubſtantiæ modificationes, nihil impedit quominùs ſubjecto ſeu ſubſtantiæ quæ extenſione donatur, advenire poſſit cogitatio. Ergo &c.

N. min. ad cujus probationem nego ans. Multis enim rationibus in Ontologiâ probatum eſt ſubſtantiam non eſſe naturam quamdam realem in ſpiritu & materiâ ſimilem, & reſpectu utriuſque genus univocum; ſed meram denominationem rebus ſubſtantialibus, ſcilicèt animis & corporibus à ſe invicèm eſſentialitèr diverſis communem. Legantur quæ de ſubſtantiâ ſcripſimus.

2°. Etiamſi ſubſtantia diceretur genus univocum, cùm ſubjectum illud deberet reperiri ſub omnibus extenſionis partibus, omneſque cogitationes in ſe reci-

pere, tot esse deberent substantiæ quot sunt entia cogitantia, quot sunt extensionis portiones à se invicèm separatæ. Atqui multa sunt entia cogitantia, multæ extensionis partes à se invicèm separatæ, quod nemo sanus negaverit. Ergo &c.

Instabis. Tàm extensio & cogitatio possunt esse modificationes ejusdem substantiæ, quàm gaudium & tristitia, sensatio caloris & frigoris possunt eumdem animum simùl afficere: atqui idem animus potest gaudium & tristitiam, sensationem caloris & frigoris simùl experiri. Ergo &c.

Nego maj. Ratio discriminis est quod cùm extensio composita sit & divisibilis, cogitatio verò simplex omninò & indivisibilis non modò ratione sui secum invicèm repugnant, sed etiàm opposita subjecta postulant. Gaudium autèm & tristitia, sensatio caloris & frigoris 1°. non exigunt subjecta opposita, cùm sint affectiones spiritales; 2°. nec etiàm demonstrari potest illas sic intèr se oppositas esse, ut ex diversis causis in eodem animo simùl excitari non queant. Ad hoc enìm requireretur, ut demonstrari posset eas tàm secum invicèm repugnare, quàm figuram sphæricam & cubicam; atqui demonstrari non potest sensationem caloris & frigoris tàm secum invicèm repugna-

re, quàm prædictas figuras. Ergo &c.

Instabis. Ideò extensio & cogitatio non possent esse ejusdem substantiæ modificationes, quià extensio postularet subjectum compositum & divisibile, cogitatio verò subjectum simplex & indivisibile. Atqui id falsum est. Nàm reproductio possibilis est, ut fatentur Catholici, qui dicunt idem Christi corpus esse in omnibus hostiis consecratis. Atqui si res ità sit, unica eademque substantia poterit sub omnibus extensionis partibus etiàm à se invicèm dissitis reperiri; sicuti idem Christi corpus in locis à se invicèm remotis existit. Ergo &c.

Nego min. ad cujus probationem dist. maj. Reproductio possibilis est in principiis Catholicorum & per miraculum; conc. maj. In systemate Spinosæ, n. maj. 1°. Non omnes Catholici reproductionem admittunt: quis enìm ignorat Carthesianorum systemata ad explicandum sacrosanctum altaris sacramentum. 2°. Qui reproductionem agnoscunt, eam dicunt miraculum, & supernaturalem corporis Christi statum. Ergo in statu naturali quot sunt extensionis partes à se invicèm dissitæ, tot esse debent subjecta, tot substantiæ. Quod Spinosæ systema penitùs evertit. Verùm ut ut sit de Catholicorum quorumdam sententiâ. Cùm leges motûs in

systemate Spinosæ necessariæ sint, nullum evenire potest miraculum. Nulla similitèr esse potest reproductio; nàm ex Spinosa creatio repugnat; ergo & reproductio.

Jàm verò ridicula est objectio cujus principium repugnat in eo systemate ad cujus defensionem proponitur; præsertìm si principium objectionis ab eo non censeatur admitti, qui systema refellit. Atqui reproductio quæ præsentis objectionis principuum est, omninò repugnat in systemate Spinosæ, ad cujus defensionem proponitur. Præterea reproductio non censetur ab eo admitti qui Spinosæ sententiam refellit; cùm nondùm is censeatur religionem christianam amplecti & profiteri. Ergo &c.

Eâdem de causâ insulsæ mihi videntur difficultates ex religionis christianæ mysteriis à junioribus quibusdam Theologis proponi solitæ.

Obj. 2°. Deus est ens infinitè perfectum: atqui non esset ens infinitè perfectum nisi extensionem omnem & cogitationem complecteretur.

Nego min. Ens infinitè perfectum ab omnibus intelligitur quod omnipotentiâ, quod infinitâ intelligentiâ, cæterisque perfectionibus naturæ intelligenti consentaneis & quidèm in summo gradu sic exornatur, ut nullas habeat admixtas imper-

fectiones. Atqui ens illud extensionem omnem & cogitationem non continet; alioquìn vitiis omnibus & imperfectionibus scateret. Ergo &c.

Et verò cùm Deus à Spinosâ confictus sit mundus aspectabilis; infinitè perfectus dici non potest, ut ex probationibus perspicuum est. Ergo &c.

Instabis. Illud ens non est infinitè perfectum quo perfectiùs cogitari potest. Atqui nisi Deus animos omnes & corpora contineat, ens alterum perfectius esse potest; illud scilicet quod extensionem omnem & cogitationem complecteretur. Ergo &c.

N. min. Ens enìm chimæricum & repugnans non potest dici altero ente reali perfectius. Atqui ens unum, substantia unica quæ extensionem omnem & cogitationem complecteretur, ens est chimæricum & repugnans. Constaret enìm ex attributis & modificationibus quæ secum invicèm in eodem ente coexistere non possunt, ut demonstratum est. Ergo &c.

Instabis. Corpus quodcumque sicut & animus quilibet est ens positivum & reale, proindèque perfectio. Ergo ens quod extensionem omnem & cogitationem non contineret, perfectiones omnes non haberet. Ideòque non esset infinitè perfectum.

1°. Retorqueo argumentum. Vitium nullum est vel scelus tàm horrendum, in quo non reperiatur positivum aliquid & reale. Ergo ens non potest esse infinitè perfectum nisi vitiis omnibus & detestandis sceleribus inquinetur. Quo certè absurdiùs nihil excogitari potest.

2°. Dist. ans. Corpus quodcumque sicut & animus est perfectio quædam absoluta, non relativa & alterius perfectiva; conc. ans. Est perfectio alteriùs perfectiva, nego ans. & conseq. De vocibus certandum non est. Ens quodlibet positivum eâ ipsâ de causâ dicatur perfectio: certè ens omne positivum non est entis alterius perfectivum. Nàm multa sunt secum invicèm repugnantia; multa quæ adjunctas habent imperfectiones maximas. Ergo si ens non posset esse infinitè perfectum, nisi ejus generis perfectiones contineret, ens infinitè perfectum esset ens chimæricum, omniumque imperfectissimum; quod est contradictorium.

QUÆSTIO SECUNDA.

Quid sit Deus?

Jàm demonstratum est Deum esse spiritum æternum, necessarium, omnipotentèm, summè perfectum. Quæritur hîc quod intèr infinitas perfectiones sit attri-

butum constitutivum. Quæ quidèm quæstio magni momenti non est; cùm eâ solùm de causâ agitetur quod Peripateticorum judicio rei cujuslibet essentia attributis duobus omninò contineatur, genere proximo, & differentiâ maximè propriâ. In quo rerum naturam parùm consuluisse videntur; ut constat ex iis quæ dicta sunt in Ontologiâ, præsertìm ubi de essentiâ disputatum est.

Ut autèm attributum aliquod constitutivum sit & differentiale, conditiones tres vulgò requiruntur; prima, ut attributum illud sit perfectio quædam specialis à cæteris omnibus vel reipsà distincta secundùm Scotistas, vel solâ cogitatione secundùm Thomistas. Secunda, ut per illam perfectionem Deus à quolibet altero ente secernatur, cùm sit differentia maximè propria. Tertia, ut sit perfectio quædam primaria, ex quâ cæteræ fluere concipiantur, & tanquàm ex fonte dimanare.

Scotistæ pro gradu Dei constitutivo infinitatem assignant, Thomistæ intellectionèm, quidam Philosophi independentiam, quam vocant omnimodam, id est independentiam ab alio tanquàm à causâ, tanquàm à principio, & tanquàm à radice; communis sententia præsertìm Theologorum, existentiam necessariam,

ſeu ut aiunt aſeitatem ; tandèm multi contendunt attributum Dei primarium & conſtitutivum omninò ignotum eſſe.

Scotiſtæ vel ex eo ſolo refelluntur, quod hîc quæſtio ſit de attributo quodam ſpeciali à cæteris diſtincto, qualis certè non eſt infinitas.

Thomiſtæ verò, ex eo quod intellectio non ſit attributum primarium, cùm facultatem intelligendi præſupponat, imò ipſa facutas concipiatur proprietas eſſentiæ jàm conſtitutæ. Quibus prænotatis.

PROPOSITIO I.

Independentia omnimoda non eſt attributum Dei conſtitutivum.

Probatur. Illud non eſt attributum Dei conſtitutivum, quod eſt dumtaxàt conſectarium aliquod & proprietas attributi conſtitutivi, quodcumque tandèm illud ſit. Atqui talis eſt independentia omnimoda. Nàm 1°. quæcumque perfectio ſit attributum Dei conſtitutivum, ea debet eſſe independens à causâ, cùm neceſſariò exiſtat. 2°. Debet eſſe independens à principio. Solæ enim perſonæ Filii & Spiritûs ſancti ab alio oriuntur tanquàm à principio, non verò perfectiones naturæ divinæ. 3°. Debet eſſe independens ab alio tanquàm à radice. Quippè attributum conſtitutivum debet eſſe perfectio

primaria, quæ ex alterâ non fluat, ſed ex quâ cæteræ dimanare concipiantur. Ergo quæcumque perfectio ſit attributum Dei conſtitutivum; independentia hæc triplex, ſeu ut aiunt omnimoda debet ejus conſectarium eſſe. Proindèque &c.

Et verò attributum gratìs confictum non poteſt eſſe attributum conſtitutivum. Atqui independentia omnimoda eſt perfectio gratìs conficta. Nulla enìm eſt in Deo perfectio ſpecialis poſitiva à cæteris diſtincta, quæ ſit triplex hæc independentia; & ideò dumtaxàt dicitur independentia ab alio tanquàm à radice & fonte, ut probari non poſſit ipſam ab aliâ fluere. Ergo &c.

Tandèm eſſe independens, quemadmodùm & increatum hæc negativa ſunt, quæ exiſtentiam neceſſariam evolvunt magìs & explicant.

PROPOSITIO II.

Exiſtentia neceſſaria, ſeu, ut aiunt, aſeitas, non eſt attributum Dei conſtitutivum.

Probatur. Exiſtentia neceſſaria non poteſt eſſe perfectio primaria eſſentiæ divinæ conſtitutiva, niſi ſit attributum quoddam ſpeciale poſitivum, & à cæteris diſtinctum, quo Deus conſtituatur Deus: atqui talis non eſt exiſtentia neceſſaria.

Nam in Ontologiâ probatum est existentiam rei cujuslibet non esse in se & ratione sui solius consideratam attributum, vel modum quemdam positivum, sed meram denominationem abstractam. Quod iisdem rationibus de existentiâ necessaria demonstrari potest. Quare sibi contradicere videntur illi Philosophi, qui cùm eamdem in Ontologiâ sententiam propugnaverint, posteà dicunt existentiam necessariam esse attributum Dei constitutivum. Enìm verò 1°. existentia necessaria potest ad summum esse perfectio quâ Deus constituitur existens, non verò quâ constituitur Deus; quemadmodùm existentia contingens potest ad summum esse illud quo animus humanus constituitur existens, non verò quo constituitur animus. 2°. Si existentia necessaria esset perfectio à cæteris distincta quâ Deus constitueretur existens; cùm ipsa esset extrà nihil, álterâ indigeret perfectione, quâ ipsa constitueretur existens; sicque admitteretur progressus in infinitum. 3°. Cùm existentia vulgó definiatur positio extrà nihilum, existentia necessaria aliud nihil esse potest nisi positio necessaria extrà nihilum. Quod certè perfectionem specialem & positivam non significat; imò essentiam jàm constitutam potiùs supponeret, non enim potest esse positio

necessaria extrà nihilum, nisi sit rei alicujus, essentiæ alicujus. Ergo si existentia necessaria esset specialis quædam perfectio; essentiam jàm constitutam præsupponeret. Proindèque &c.

Dices 1°. illud est attributum Dei constitutivum quod est quid primum in Deo: atqui talis est existentia necessaria; nihil enim assignari potest quod existentiâ necessariâ priùs sit. Ergo &c.

Nego min. Nàm existentia necessaria vulgò definitur positio necessaria extrà nihilum: non potest autèm esse necessaria extrà nihilum positio nisi rei alicujus, essentiæ alicujus. Ergo positio hæc necessaria rem & essentiam præsupponit constitutam. Itaque quamvis ignoretur quodnam sit attributum Dei primarium, tamèn aliquid existentiâ necessariâ priùs concipitur; si ipsa dicatur perfectio quædam specialis: quod etiàm falsum est.

Dices 2°. Per existentiam necessariam Deus à cæteris entibus discrepat. Ergo existentia necessaria est differentia Dei maximè propria.

Retorqueo argumentum. Per omnipotentiam Deus à cæteris entibus differt. Ergo omnipotentia est differentia Dei maximè propria.

2°. Nego conseq. Non enim magis existentia necessaria est attributum Dei

constitutivum & differentiale, ex eo quod per illam Deus à cæteris entibus secernitur; quam existentia contingens est attributum constitutivum & differentiale corporis vel animi humani, ex eo quod per existentiam contingentem corpus & animus à Deo differunt. Atqui etiamsi corpus & animus humanus per existentiam contingentem à Deo discrepent; non ideò tamèn existentia contingens est attributum corporis vel animi humani constitutivum. Ergo &c.

Dices 3°. Ab existentiâ necessariâ fluunt cæteræ Dei perfectiones. Ergo est attributum primarium & constitutivum.

Nego ans. Nàm si cæteræ Dei perfectiones ab existentiâ necessariâ fluerent, in illâ continerentur, quemadmodùm divisibilitas in extensione reali includitur. Atqui certè omnipotentia, summa intelligentia &c. non continentur in existentiâ necessariâ, quemadmodùm divisibilitas in extensione corporeâ; vel si quis contrarium afferat, fateor id à me non percipi. Ergo &c.

Instabis. Ideò Deus est infinitè perfectus, quià existit necessariò. Ergo ab existentiâ necessariâ fluunt cæteræ Dei perfectiones.

Nego ans. E contrà Deus necessariò existit, quià infinitè perfectus est. Ideò enim

enim necessariò existit, quià ejus natura existentiam exigit; atqui sola natura infinitè perfecta, existentiam necessariò exigit: ergo ideò existit necessariò, quià infinitè perfectus est. Non quidèm eo sensu quod Deus priùs concipiatur infinitas habere perfectiones, ex quibus fluat existentia necessaria, ipsisque superaddatur. Existentia enìm necessaria non est perfectio quædam specialis à cæteris etiàm cogitatione distincta. Sed eo sensu quod natura infinitè perfecta, extrà nihilum esse necessariò exigat.

Instabis. Probatur Deum esse infinitè perfectum, quià existit necessariò. Ergo ideò Deus est infinitè perfectus, quià ejus existentia necessaria est.

Nego conseq. Ex eo enìm quod Deus necessariò existit, probatur infinitè perfectus supponendo existentiam necessariam non esse perfectionem specialem à cæteris etiàm cogitatione distinctam. Ergo etiamsi probetur infinitè perfectus, ex eo quod necessariò existit, indè tamèn non sequitur cæteras perfectiones in existentiâ necessariâ contineri, & ex illâ fluere.

Dices 4°. Exodi cap. 3°. Moysi quærenti Dei nomen respondet Deus, *ego sum, qui sum. Sic dices filiis Israël, qui est, misit me ad vos.* Undè sic argumen-

tum proponitur. Illud est attributum Dei constitutivum quod Deus sibi proprium vindicat, ut suam naturam significet. Atqui talis est existentia necessaria. Ergo &c.

1°. Retorqueo argumentum frequentius in Scripturis Deus seipse appellat Dominum exercituum, Dominum omnipotentem. Indè tamen pessimè concluderetur hæc attributa primaria esse, & naturæ divinæ constitutiva. Ergo similitèr &c.

2°. Dist. min. Existentia necessaria est attributum quod Deus sibi proprium vindicat, ut naturam suam exprimat, per oppositionem ad entia contingentia & caduca; conc. min. Secùs, nego min. & conseq. Ut Deus quæstioni Moysis satisfaceret, assumere nomen sufficiebat, quod naturam Dei exprimeret per oppositionem ad homines, cæteraque entia caduca. Verùm ex eo quod Deus per existentiam necessariam ab entibus contingentibus discrepet, non magìs sequitur existentiam necessariam esse attributumDei primarium & constitutivum, quam concludi potest existentiam contingentem esse attributum animi humani vel corporum omnium constitutivum, ex eo quod per existentiam contingentem animus humanus & corpus quodlibet à Deo discrepet. Atq. certè ejusmodi consecutio non esset legitima. Ergo &c.

Finis Tomi primi.

INDEX TITULORUM

Qui Tomo primo continentur.

INDEX.

Finis Indicis Tomi primi.

ERRATA.

Pag.	*lin.*		*lege*
15	7	aliarum	aliorum.
30	21	experentiam	experientiam.
60	4	Dei. Hæc vox deleatur.	
118	2	gradum	graduum.
119	2	indeqendentèr	independentèr.
193	5	alioquid	aliquid.
242	31	fufcitabuntur	fcifcitabuntur.
243	1	præpondarebunt	præponderabunt.
250	1	li	fi.
277	25	feciffe	fuiffe.
366	27	variumque	variorumque.

APPROBATIO REGII LIBRORUM *Censoris, Sorbonici Doctoris.*

JUSSU Illustrissimi Galliarum Cancellarii, legi opus manu-scriptum cui titulus, *Metaphysica ad usum Scholæ accommodata*; in quâ nihil reperi quod adversetur aut fidei catholicæ, aut bonis moribus. Datum in Collegio Lexovæo, die decimâ quintâ Augusti anno 1758.

ST. LE SEIGNEUR.

PRIVILEGE DU ROI.

LOUIS, PAR LA GRACE DE DIEU, ROI DE FRANCE ET DE NAVARRE; A nos amés & féaux Conseillers les Gens tenant nos Cours de Parlement, Maîtres des Requêtes ordinaires de notre Hôtel, Grand Conseil, Prévôt de Paris, Baillifs, Sénéchaux, leurs Lieutenans Civils, & autres nos Justiciers qu'il appartiendra; Salut. Notre amé le Sieur ANTOINE SEGUY, Professeur de Philosophie au Collége de la Marche, nous a fait exposer qu'il désireroit faire imprimer & donner au Public un Ouvrage qui a pour titre, *Philosophia ad usum Scholæ accommodata, authore Antonio Seguy*, s'il nous plaisoit lui accorder nos Lettres de privilége pour ce nécessaires: A ces causes, voulant favorablement traiter l'Exposant, nous lui avons permis & permettons par ces présentes, de faire imprimer ledit Ouvrage autant de fois que bon lui semblera, & de le faire vendre & débiter par tout notre royaume pendant le tems de six années consécutives, à compter du jour de la date des présentes. Faisons défenses à tous Imprimeurs Libraires, & autres personnes de quel-

que qualité & condition qu'elles ſoient, d'en introduire d'impreſſion étrangere dans aucun lieu de notre obéiſſance ; comme auſſi d'imprimer ou faire imprimer, vendre, faire vendre, débiter ni contrefaire ledit Ouvrage, ni d'en faire aucun extrait, ſous quelque prétexte que ce puiſſe être, ſans la permiſſion expreſſe & par écrit dudit Expoſant, ou de ceux qui auront droit de lui, à peine de confiſcation des Exemplaires contrefaits, de trois mille livres d'amende contre chacun des contrevenans, dont un tiers à nous, un tiers à l'Hôtel-Dieu de Paris, & l'autre tiers audit Expoſant, ou à celui qui aura droit de lui, & de tous dépens, dommages & intérêts : à la charge que ces préſentes ſeront enregiſtrées tout au long ſur le regiſtre de la Communauté des Imprimeurs & Libraires de Paris dans trois mois de la date d'icelles ; que l'impreſſion dudit Ouvrage ſera faite dans notre royaume, & non ailleurs, en bon papier & beaux caractères, conformément aux réglemens de la Librairie, & à la feuille imprimée qui ſera attachée pour modéle ſous le contre-ſcel des préſentes ; que l'Impétrant ſe conformera en tout aux réglemens de la Librairie, & notamment à celui du 10 Avril 1725 ; qu'avant de l'expoſer en vente le manuſcrit qui aura ſervi de copie à l'impreſſion dudit Ouvrage ſera remis dans le même état où l'approbation y aura été donnée, ès mains de notre très-cher & féal Chevalier Chancelier de France le Sieur DE LA MOIGNON, & qu'il en ſera enſuite remis deux Exemplaires dans notre Bibliotéque publique, un dans celle de notre Château du Louvre, & un dans celle de notre très-cher & féal Chevalier Chancelier de France le Sieur de la Moignon ; le tout à peine de nullité des préſentes ; du contenu deſquelles vous mandons & enjoignons de faire jouir ledit Expoſant & ſes ayans cauſe pleinement & paiſiblement, ſans ſouffrir qu'il leur ſoit fait aucun trouble ou

empêchement. Voulons que la copie des présentes, qui sera imprimée tout au long au commencement ou à la fin dudit Ouvrage, soit tenue pour dûement signifiée, & qu'aux copies collationnées par l'un de nos amés & féaux Conseillers Secrétaires, foi soit ajoutée comme à l'original. Commandons au premier notre Huissier ou Sergent sur ce requis, de faire pour l'exécution d'icelles tous actes requis & nécessaires, sans demander autre permission, & nonobstant clameur de Haro, Charte Normande, & Lettres à ce contraires : car tel est notre plaisir. Donné à Versailles le vingtiéme jour du mois d'Août l'an de grace mil sept cens cinquante-huit, & de notre régne le quarante-troisiéme.

Par le Roi en son Conseil,

LE BEGUE.

Registré sur le Registre XIV. de la Chambre Royale des Libraires & Imprimeurs de Paris, N°. 398. fol. 350. conformément au Réglement de 1723. qui fait défenses article IV. à toutes personnes de quelque qualité & condition qu'elles soient, autres que les Libraires & Imprimeurs, de vendre, débiter & faire afficher aucuns Livres, pour les vendre en leurs noms, soit qu'ils s'en disent les Auteurs, ou autrement; & à la charge de fournir à la susdite Chambre neuf Exemplaires prescrits par l'article 108. du même Réglement. A Paris, le 5 Septembre 1758.

P. G. LE MERCIER, Sindic.

